



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Ger
410
52

G. G.

Geo 410.52



Harvard College Library

FROM

THE LIBRARY OF

PROFESSOR E. W. GURNEY,

(Class of 1852).

Received 22 May, 1890.



28219

Journal
1874

COMMENTATIO
HISTORICO-CRITICA
DE
FRANCORUM MAIORE DOMUS.

AUCTORE
IOANNE GUILIELMO ZINKEISEN
ALTENBURGENSI
SEMINARII PHILOLOGICI SODALI ORDINARIO.

IN CERTAMINE LITTERARIO
CIVIUM
ACADEMIAE IENENSIS
DIE II SEPT. MDCCCXXV
PRAEMIO PRINCIPUM MUNIFICENTIA CONSTITUTO
EX SENTENTIA
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ORNATA.

Χαλεπὸν τὸ μετρίως εἰπεῖν, ἐν ᾧ μόλις καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιούται.

Thucyd. II, .55.

IENAE
PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA
MDCCCXXVI.

~~IA 3-687~~

Gen 410.52

22 May, 1890.
From the Library of
PROF. E. W. GURNEY.

VIRIS
PERILLUSTRIBUS SUMMEQUE VENERANDIS
HENRICO LUDENIO

ET
AUGUSTO MATTHIAE

PRAECEPTORIBUS SUIS
HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS PIETATIS GRATAE-
QUE MENTIS TESTIMONIUM SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.



INTRODUCTIO.

§. 1.

Proposita est nuper ab amplissimo civitatis nostrae litterariae Philosophorum ordine ex historia eaque mediæ aevi, haec quaestio:

„Quis fuit Maior domus primis regni Francorum temporibus et quomodo
„quibusque artibus hic ministerialis saeculo octavo eo pervenit, ut ipso
„regno potiri potuerit?“

§. 2.

Quae quidem quaestio cum, ut praescriptum est, ex illius temporis historiae fontibus indaganda atque pertractanda sit, de his ipsis fontibus pauca differere haud superfluum esse videtur.

Quum vero vix operae pretium esse putaverim, omnes veteris historiae Francorum scriptores, annaliumque monumenta, numerosiora quidem illa quam copiosiora, quorum quamvis non semper gravissima, sola tamen auctoritate nisi hanc opellam suscepimus, deinceps enarrare, satius erit, libros quosdam nominare, in quibus praecipui rerum Francicarum scriptores collecti et ex temporum ordine dispositi inveniuntur. Ex iis igitur, qui huiusmodi collectionibus de ipsorum patriae historia optime meruerunt, praeclare commemorandi sunt Andreas et Franciscus Du Chesne, pater et filius, quorum liber ita inscriptus: „Historiae Francorum scriptores coetanei etc.“ prodiit Lutetiae Parisiorum

— 2 —

1636 et 1641.¹⁾ Simile opus composuit Marquardus Freherus, quod quamquam non tantae amplitudinis est, quantae superius, praecipuos tamen veteris Francorum historiae scriptores continet.²⁾ — Nec minori cum laude huc referendi sunt Petrus Pithoeus³⁾ et Martinus Bouquet.⁴⁾ Quod vero ad leges veteres et capitularia Regum Francorum pertinet, Stephanus Baluzius⁵⁾ et Paulus Canciani⁶⁾ a nemine haud dubie non magni aestimantur. Praeterea in veterum Francorum legibus explicandis praecipue summa cum laude et optimo eventu Io. Georg. Eccardus elaboravit.⁷⁾ — Quibuscunque autem, praeter hos, libris in hac commentatione conscribenda uti mihi licuerit, eos suo quemque loco indicabo.

§. 3.

At ne quid dicam de annalium ieiunitate nec de inanitate chronicorum, omnium instar quasi principem horum scriptorum Gregorium Turonensem nominabo, qui in libris X historiam Francorum ab ipsis regni incunabulis ad sua usque tempora conscripsit.¹⁾ Quum vero studium historiae veterum Francorum per se iam multis eisque haud exiguis difficultatibus satis impeditum sit, maximas tamen haud dubie comparat difficultates huius historici irridiosa atque impedita scribendi ratio. Nam quod primum ad interiorum librorum Gregorii Turonensis indolem pertinet, aetatis suae ingenium moresque gentis nimis fere redolent. Atque erat illa quidem aetas superstitionis vanitate implicata et velut obcaecata;²⁾ Christum cognoverat quidem aetas, neque tamen erat fidei christianae veritati initiata, et illam, quam Christus praedicaverat veram, inviolatam, generosam atque sacram virtutem ne sentire, ne comprehendere quidem potuit. Itaque Franci in doctrina christiana magis mysticum quoddam et obscurum, quam veritatis lucem, magis vitiorum praesidium, quam morum moderatricem, magis denique vincula falsae servitutis, quam verae libertatis adiutricem inveniebantur. Quare vulgus miraculorum narrationibus mirum in modum delectabatur, et scriptores suam ipsorum utilitatem spectantes credulitate imperitorum ita abutebantur, ut ad captandam quasi lectorum benevolentiam saepius Martyrum mirifice facta, facinora Sanctorum, portenta atque prodigia, quae tum in coelo, tum in terra apparuisse credebantur, libris suis infererent.³⁾ Ita adeo libros miraculis exornandi cupidi fuisse videntur hi scriptores, ut haud parum saepe ipsa historiae fide laesa factis miraculosum

illum colorem inducere vitio sibi non tribuerent. Nequē vero illud valde mirandum est, quod Gregorius in enarrandis Francorum gestis, quae fuerint cuiusque rei causae efficientes quaeque consecutiones effectae, aut quomodo eorum, quae narrantur, series cohaeserit, afferre plane neglexit. Nam cum ex ipsius sententia omnia divina quodammo modo atque fatalia evenisse viderentur, sibi de aliqua re vix iudicium licere opinabatur. Ne vero de Gregorii pro aetate tam singulari opere, quippe quo Francorum historiae conscribendae conditor et quasi pater exstiterit, nimis severe indicemus, neve, quod laude dignissimum est, omni laude privemus, quaeramus certe de consilio, quod Gregorius in conscribendis illis libris sibi proposuerit. Ita enim fortasse Gregorius quoque excusari potest. Cuius libros qui diligentius et accuratius perlegerit, facile intelliget, Episcopum Turonensem non tam saeculares, ut ipsius verbo utar, quam ecclesiasticas res spectasse.⁴⁾ Praeter dissensiones enim et inimicitias inter reges ortas, praeter insidias et caedes, quas fratres fratribus pararunt, de populi Francorum factis et gestis fere nihil nobis praebet. Maxima vero totius operis pars in enarrandis ecclesiarum, Episcoporum et Sanctorum miraculis consumitur.

§. 4.

Sin vero exteriorem, quam vocamus, nostri Gregorii indolem respicimus, non minores inde difficultates comparantur. Ita enim inculta atque inpolita apparet, ut obscuritas verborum haud raro sententiis callum quoddam obducere videatur. Siquidem Gregorii scribendi genus non est perspicuum illud nec dilucidum atque enucleatum, sed asperum, impeditum, contortum, omni copiae oratoriae ubertate et omni elegantiae venustate plane carens. Quid? quod ne grammaticam quidem rationem semper servavit?¹⁾ Haud temere igitur, puto, Gregorius ipsius orationem sermonem rusticum appellavit²⁾. Attamen vitiosum quidem illud scribendi genus, sed non tam scriptoris incitia, quam aetatis ruditus est accusanda. Nam a Musarum sacris paene tota abhorruit haec aetas et perpauci tantum vix aliquid de litterarum dulcedine degustarunt. Hinc certe illae de mala litterarum conditione querelae, hinc illae de aetatis perversitate lamentationes, quibus Gregorius opus suum praefatur³⁾.

§. 5.

Atque easdem fere difficultates, sive internae sive externae indolis ratione habita, ceteri quoque, qui Gregorium secuti sunt, rerum Francicarum scriptores praebent, usque dum saeculo octavo exeunte novus quasi litterarum Maece- nas, Carolus ille Magnus, prodiit, et litterarum studia denuo et maiori cum assiduitate recolebantur¹⁾. Pertinent igitur ad illorum scriptorum libros, prae- ter vitarum Sanctorum silvam: Fredegarii Scholastici Chronicon, quo Gregorii libros continuavit. Historia Francorum epitomata, quae inscribitur, sine dubio eodem Fredegario merito tribuitur. Quae quidem historia epitomata, ut om- nes paene seriores scriptores, Gregorium ad verbum fere secuta, ita tamen ab eo recedit, ut permulta eaque vix fide digna et omni auctoritate destituta ad- iiciat. Commune quidem cum illo „Gesta Regum Francorum“ inscripto libello vitium. Porro ex hoc genere non omittenda sunt Gesta Dagoberti I, et com- plures Annalium libri aliaque huiusmodi scripta, quorum qui fuerint au- ctiores, vel quibus inscriptionibus sint notata, infra occasione oblata, indica- bimus.

§. 6.

Ut vero ad Gregorium Turonensem revertamur, cum multis vitiis haec certe ei tamquam propria laus est vindicanda, ut in rebus ad historiam Fran- corum pertinentibus, si non semper, plerumque tamen ei fides haberi possit. Vixit enim et libros suos conscripsit Gregorius ea aetate, qua veritatem sine verborum ambagibus proferre cuique licebat, et quatenus pro aetatis supersti- tione atque credulitate fieri potuit, cum religione quadam veritatem sectatus fuisse videtur. Ita, ne longius abeam, Gregorius de fabula illa ampullae Rhe- mensis, cuius chrismate Chlodoveum magnum inunctum fuisse seriores confin- xerunt, ne verbum quidem monuit; et ex hoc genere multa alia a veritate prorsus aliena seriores protulerunt, de quibus in Gregorii libris plane nihil in- venias. Neque sane causa idonea exstabat, cur Gregorius a veritate desciscens in alicuius favorem falsi quidquam et conficti posteritati tradere potuisset. Sin vero eos scriptores, qui post Gregorium inclinantibus iam ad inter- itum Merovingis vixerunt, respicimus, in his percensendis maior sine dubio

cautio est adhibenda. Verifimile enim est, scriptores ultimis Merovingis regnantibus alium alius secutum fuisse partes, neque quemquam partium studio plane liberatum scripsisse arbitrari. Quod nisi ita fuisset, quomodo scriptorum illorum de eadem re tam diversae et interdum inter se repugnantes adeo explicari possent sententiae? Hoc certe negari nequit, permulta ab his scriptoribus ad captandum Carolingorum favorem dicta fuisse videri. Quid? quod Carolingis iam regnantibus tum mutando, tum demendo, tum denique interpolando magis etiam corrupta et depravata fuisse videntur historicorum scripta? Quid certi enim et explorati, ut hoc unum exempli gratia moneam, de Pipini in regem Francorum electione eiusque inunctione per St. Bonifacium unquam habemus? Itaque artis criticae duplex est in horum quoque scriptorum usu negotium, quorum alterum ad verba sive textum genuinum restituendum, alterum ad res sive veritatem historicam eruendam pertinet. In utroque vero, quantum scio, nondum fere elaboratum est a viris doctis, nisi forte illae lectionis varietates, quas in margine dispersas apud Du Chesnium, Freherum aliosque invenimus, critices quandam speciem praebeant ¹⁾.

§. 7.

Restat, ut quaestionis partes certius definiamus atque circumscribamus. In duas igitur partes quaestio recte dividi potest, ita quidem, ut in priori quis fuerit Maiordomus percontemur, in altera vero quo modo quibusque artibus hic ministerialis saeculo octavo eo pervenerit, ut ipso regno potiri potuerit, explicemus. Quarum priorem quidem partem his fere capitibus absolvendam putaverim:

Cap. I. De vulgari ad recentiora usque tempora de Maiore domus sententia.

Cap. II. De Sismondii de eodem ministeriali paucis abhinc annis proposita sententia.

Cap. III. De sententia Ludenii et nova quaedam de Maiore domus.

Alterius autem partis erunt haec capita:

Cap. I. De regis Francorum conditione ab initio regni et Merovingis regnantibus; de Chlodoveo Monarcha.

Cap. II. De Merovingis usque ad Chlotharium II Monarcham a. 613 et quomodo ipsorum exitium ad hoc usque tempus fuerit præparatum.

Cap. III. De Maioribus domus et ipsorum potestatis incrementis ad proedum usque Textriciense Pipino II victore a. 687.

Cap. IV. De ultimis Francorum Maioribus domus. Merovingorum interitus. Initium regni Carolingorum. —

P A R S I.

Quis fuit Francorum Maior domus?

CAP. I.

De vulgari ad recentiora usque tempora de Maiore domus sententia.

§. 1.

Historia Maiorum domus, eorum potestatis incrementa atque vicissitudines, eorumque tam gloriosus quam insignis exitus, in ea mediæ aevi tempora incidit, quae cum propter multa alia, tum pricipue hanc ob causam ad celeberrimas et gravissimas totius historiae partes merito pertineant, quod recentioris aetatis principium quodammodo atque fundamentum haberi possunt. Quod quidem ad propositam quaestionem pertractandam non minus animum invitat atque excitat, quam ipsius gravitas per se. Maximam enim quaestionis gravitatem in eo potissimum positam esse putaverim, quod quo accuratius licet cognoscere primam Maioris domus conditionem, eo facilius et certius explicari potest quaestio, quomodo hic ministerialis saeculo octavo ipso regno potiri potuerit. At vero, quamvis iucundissima sit huius quaestionis investigatio, tantae tamen tamque multae, quominus satis apte et erudite explicetur, obsunt difficultates, quas vix superare posse putaverim, nisi Horatianum illud „nil mortalibus arduum est“ ¹⁾ iuvenilia studia quodammodo excitarit atque nondum exercitatas satis quasi sublevarit vires. Maximam igitur difficultatem, ex qua ceterae omnes nascantur, inde oriri iam

fatis constat, quod ex fontibus, quae fuerit prima et vera Maioris domus conditio, aut quae administrarit, aut quo munere ab initio quidem functus, aut quibus praefectus fuerit, aut quae locum habuerit eum inter et leudes necessitudo, aut quae ei admilla cum rege, aut quando, aut a quibus primus fuerit Maior domus vel constitutus vel vero etiam electus, maxima sane inde oritur difficultas, quod de his omnibus ex fontibus vix ac ne vix quidem quidquam divinare possumus. Nam tum demum Maiorum domus eorumque conditionis accuratior et iterata fit mentio in fontibus, cum eorum potestas iam talis erat, qualis paene regia esse videbatur. Prius autem perraro tantum et non, nisi fortuito et sine ullo nominantur additamento, ex quo certi et explorati quid de ipsorum potestate vel honore concludere liceat. — At nominantur tamen iam prius Maiores domus. — Sane quidem. — Quid igitur? quid de his iudicandum est? Quid de Bادهيفلو? Quid de Waddone? Quid de Florentiano? — Sane nominantur hi quidem, ita tamen, ut tantum absit, ut quae Gregorius alique scriptores de iis commemorant, quidquam, quo clarius perspicere possimus Maioris domus conditionem, afferant, ut maiores etiam excitent legenti atque moveant dubitationes. Fieri igitur non potest, quin tota fere de huius ministerialis conditione disputatio in mera tantum coniectura acquiescere debeat, nisi forte ex iis, quae de serioribus Maioribus domus tradunt scriptores, colligere possimus, quae prima eorum fuerit conditio. Quae cum ita sint, non est, quod miremur, disquisitionis de hac ad recentiora usque tempora leviter tantum pertractata quaestione, nondum ad finem ita fuisse perductas, ut, quae nuper ab ipsis doctissimis et historiarum sane peritissimis viris proposita sunt, neququam tamen rei satisfacere videantur. Leviter tantum dixi, ne qua offendant verbum. Nam qui ex recentioribus in conscribenda veterum Francorum historia elaborarunt, partim non nisi leviter hanc quaestionem attigerunt, partim ne attigerunt quidem²⁾. Quod cur fecerint in promptu sunt causae. Hi enim difficultatibus, quibus quaestio implicata est, deterrebantur, quominus periculum certe fecissent, illi contra metuentes, ne longiores fiant, si quid accuratius enucleare velint de hac re, paucis tantum verbis sententiam proposuerunt. Atqui nostrum erit, accuratius inquirere et quantum fieri possit, scriptorum testimoniis confirmare, quae fuerit prima Francorum Maioris domus conditio. Quod priusquam inchoamus, opus est, ut de propositis adhuc de hoc ministeriali sententiis quaedam disserantur.

§. 2.

Invaluerat enim ad recentiora usque tempora de Maiore domus Francorum haec fere sententia: Maiorem domus ab initio ministerialem quendam regis domesticum eumque inferioris ordinis fuisse, qui ceteris regis ministerialibus seu pueris regiis fuerit praefectus. Quae quidem sententia non modo ab omnibus fere antiquioribus Francorum historiae scriptoribus proponitur ¹⁾, verum etiam nostris temporibus a nonnullis denuo et iterum comprobatur ²⁾. Atque, ut verum fatear, satis mirari nequeo, tum unde talis oriri potuerit sententia, tum praecipue qui factum sit, ut ad recentiora usque tempora huiusmodi errores permanserint. At videamus argumenta et rationes, quibus probari posse videatur sententia, et quomodo refellantur, quantum possumus, nunc demonstrabimus.

Primum igitur, inquiunt ii, qui hanc sententiam probant, tota civitatis Francorum ratio regisque eorum conditio huiusmodi ministerialem flagitasse videtur, idque recte. Sed non hic locus est, exponere, quomodo in Francorum civitate sicuti Francorum quisque liber, ita rex agrorum et villarum isque plurimarum fuerit possessor. Quibus regem Francorum non ipsum praefuisse, nec rusticationem ipsum exercuisse nemo sane est, quin intelligat. Ab initio quidem imperii Francorum, quum reges adhuc ipsi cum exercitu convenire eique in expeditionibus suscipiendis praesidere solerent, pristina et avita virtute, quae in ipsis adhuc vigeat, iam satis impediabantur, quominus in villarum umbris otiosam quasi et mollem duxissent vitam. Habebant igitur alium quendam vel plures, qui regales villas administrarent atque rem familiarem quasi moderarentur. Nec ego hoc negaverim. Utrum vero is, quem Maiorem domus scriptores nominant, an alii villis regalibus praefuerint, nunc videamus. Nam ex iis, qui singula regis praedia procuraverint, haud scio, an primum tenuerint locum Domestici, sine additamento sic dicti. Quod cum multis aliis, tum duobus praecipue Marculfi Monachi ³⁾ confirmari posse putaverim testimoniis. Inter formulas enim ab ipso collectas haec fere extat formula ⁴⁾: „Ego in Dei nomine ille Domesticus ac si indignus gloriosissimi Domini illius regis super villas ipsius illas, illa ex familia dominica de villa illa ect.“ Et alia ⁵⁾: „Iubemus, ut per omnes villas nostras, quae in vestra, vel in cuncto regno nostro aliorum Domesticorum sunt actionum ect.“ Atque ipsum

Domestici nomen indicare satis videtur, talem fuisse huius ministerialis curam, quae praecipue ad domum regiam et rem domesticam spectaverit⁶⁾. Omnes vero ceteri, quicumque fuerint regalium villarum ministri, Domestici subditi fuisse videntur, ita, ut, si non Comitibus ipsis praepositi fuerint, eorum tamen dignitas eadem fere, atque Comitum habenda sit. Gregorius enim eos simul cum comitibus idem negotium subiisse saepius narrat⁷⁾. Maiores quidem, qui vocantur, inferioris sane fuerunt ordinis, quam domestici, ut ex legis Burgundionum praefatione, qua domesticis postponuntur, satis apparet⁸⁾. Nec domestici ex mancipiis erant, quorum ordini, si omnino de ordine quodam mancipiorum loqui liceat, Maiores villarum adscriptos fuisse, ex legis Salicae titulo „de Mancipiis“ videmus⁹⁾. Contra potius ad omnia honorum generum aditus iis patuisse videtur¹⁰⁾. Quid? quod tanta erat eorum potestas, ut totae fere provinciae iis regendae committerentur? Nam de Arnulfo, post Episcopo Mettensi, scriptores referunt, eum Domestici officium sub Theodoberto rege Austrasiae gessisse, procurando scilicet sex villas regias, quae post eum singuli Domestici administraverint¹¹⁾. Verum tamen Domestici non solum regalium villarum administrationi praepositi erant, sed iudiciis quoque et causis dirimendis interfuisse videntur¹²⁾. Neque minori potestate atque auctoritate Carolingis regnantibus ornati erant Domestici, quippe qui praecipuis Caroli Magni ministerialibus adscribantur¹³⁾. Quamquam Hincmarus, Rhemorum Archiepiscopus, in libello „de ordine et officiis Palatii“ cum de ceterorum ministerialium officiis satis copiose disputaverit, Domesticorum tamen munus ne verbo quidem attigit¹⁴⁾.

§. 3.

Habebant autem Francorum reges, praeter domesticos, etiam alios partim superioris, partim inferioris ordinis ministros, quorum officia vel ad aulam, vel ad villas, vel vero etiam ad utrasque spectabant. Camerarii quidem regis thesaurum sive ea, quae regi quasi propria essent e villarum reditu, aut e vectigalibus, aut ex aliis huiusmodi rebus, administrabant. Sic Charibertus rex Camerarios ad multam ab episcopis quibusdam exigendam delegat¹⁾; Camerarii Rigunthem, Chilperici filiam, quae in Hispaniam matrimonii causa deducebatur, comitantur, eo quasi consilio, ut ipsius thesaurum procurarent²⁾; Wandalmarus Camerarius simul cum Dumnolo Domestico Guntramno regi Mumoli desert thesaurum³⁾; et Camerarii munere Rado quoque ornatus fuisse vi-

detur, quippe qui thesaurorum regalium summus procurator nominetur ⁴⁾. Praeterea Hincmarus Camerarii officia latius exposuit, nec Carolingis regnantibus alia huic ministeriali negotia fuisse, quam Merovingorum aetate, mihi persuasum est ⁵⁾. In villis regalibus vero singuli singulis rusticationis partibus quasi praefecti erant constituti. Ita custodes silvarum ⁶⁾ et custodes saltuum ⁷⁾ passim nominantur; Maurontus quidam terrarum vel silvarum ad regem pertinentium servator appellatur ⁸⁾, et Pelagium custodibus iumentorum fiscalium praepositum fuisse, Gregorius narrat ⁹⁾, qui uterque qualis fuerint ordinis et dignitatis, inde colligere licet, quod prior „nobilis vir“ praedicatur, alter ne iudicem quidem metuisse videtur. Ex hoc genere haud dubie fiscalis quoque vinitor fuisse mihi videtur, ita, ut rei vinariae vel vineis regalibus praefuerit ¹⁰⁾. Ex inferioribus autem pueris regiis erant Senescalcus, Buticularius, Mansionarius, Comes stabuli, Venatores et quicumque, praeter hos, partim ad villas administrandas pertinebant, partim in aula regis erant collocati ¹¹⁾. Quae cum ita sint, quemnam Maior domus inter hos omnes unquam obtinuit, vel obtinere potuit locum? aut quae administravit, quae procuravit? aut quibus praefectus fuit? — Equidem non intelligo, quibus, praeter domesticos aliosque, qui praefectoria potestate praediti villas et rem familiarem regis administrarent, opus fuerit; cur et ad quem usum Maiore domus? — —

§. 4.

At provocant deinde, qui veterem istam sententiam probandam putarunt, hoc testimonium: In lege Salica nimirum Maior quidam villarum ministris inferioris ordinis ita adscribitur, ut omnium ipse primus nominetur ¹⁾. Quamquam vero viri doctissimi Carolus du Fresne ²⁾ et Georgius Eccardus ³⁾ non dubitarunt contendere, verbum Maioris hic ita positum, esse, ut genitivus „domus“ cogitando quasi subintelligendus sit, non nimis audacter tamen iudicasse mihi videar, si Maiorem illum a Maiori domus longe diversum fuisse putaverim. Quamvis enim, quantum equidem scio, non saepius huiusmodi Maiores in scriptoribus nominantur, unum certe apud Gregorium deprehendimus locum; ubi sine dubio nulli alii, quam Maiores, qui in lege Salica nominantur, sunt intelligendi ⁴⁾. Nam primum quidem totius loci natura et verborum nexus docet, hic de talibus ministerialibus esse sermonem, qui ad rem familiarem sive domesticam regis administrandam pertinuerint; deinde vero Maiores, non Maior nominantur, et hanc ob causam de Maiore domus non cogitari posse

putaverim; siquidem Maiores illi villarum plures erant, quippe cum, ut arbitrator, suam quaeque villa haberet Maiorem; 5) contra vero Maior domus ab initio quidem in Francorum regno fortasse unus tantum fuisse videtur; serior demum tempore, cum sicuti regnum, ita regalis potestas in tres fere divisa fuisset partes, totidem quoque Maiores domus eligebantur, ita quidem, ut suis cuique provinciae, Austrasiis, inquam, Neustrasiis atque Burgundionibus constitueretur Maior domus; tum denique Maior domus, etiamsi non semper ita nominetur, nunquam tamen nisi additamento adiecto, Maior appellatur. Accedit porro, cur Maiorem a Maiore domus distinguendum putaverim, haec gravissima sane causa: Satis nimirum constat, Maioris domus nomen simul atque dignitatem saeculo octavo in Francorum regno interiisse. Maiores contra sub Carolo Magno saepius et iterum nominantur, et locus ipse, quo nominantur, luculentissimum est testimonium, hos Caroli Magni Maiores, alios fuisse non potuisse, quam qui Merovingorum iam temporibus ita appellabantur. In Capitulari de villis enim simul cum aliorum puerorum regionum negotiis etiam quid Maioribus faciendum sit, et qui ad hoc munus sint eligendi, accurate et distincte praecipitur. 6) Desideretne, quaeso, luculentius quisquam et gravius contra pervulgatam fere illam sententiam testimonium? — —

§. 5.

Eginhardus porro de dignitate et auctoritate Maiorum domus differens, quibusnam ad hoc munus aditus patuerit, his indicat verbis 7): „Qui honor non aliis a populo dari consueverat, quam his, qui et claritate generis et opum amplitudine ceteris eminebant.“ Sin vero Maiordomus et Maior unus idemque fuisset, quomodo haec Eginhardi verba cum loco legis Salicae 8) coniungi possunt, ubi Maior ipsis mancipiis adscribitur? — Atque Eginhardus Carolo Magno adhuc vivente vel potius non multo post eius obitum libellum suum conscripsit, et propterea Merovingorum aetati ita vixit propinquus, ut, quae vel ipsa prima Maioris domus fuerit conditio, facile comperire posset. At Maiorum inferiorem conditionem non modo ex hoc legis Salicae loco intelligimus, verum etiam Eginhardi sententiae aperte repugnat locus ex Caroli Magni capitulari de villis, ubi Maiores nem ex potentioribus, sed ex mediocribus hominibus eligi iubentur. 9) Pari modo Carolus ordinavit, ut Praesbyteri, quamquam mediocribus hominibus adscripti, Maiores tamen villarum

neutiquam constituerentur, ⁴⁾ quasi eorum quaedam sanctitas huiusmodi tam vile tamque seculare munus respuerit. Itaque ex his quoque, quatenus inter se differant Maior et Maior domus, satis elucet. Verumtamen in Gregorii libris de nonnullis, quos vel ipse Maiores domus nominat, vel seriores deum scriptores ita nominare non dubitarunt, talia sane narrantur, qualia nos facile in illum errorem inducerent, ut credamus, Maiorem domus ab initio quidem non, nisi villarum fuisse praefectum, nisi hoc quam falsum sit, tum quae hactenus disputavimus, demonstrarint, tum tota Maioris domus conditio seriori quidem tempore ipsa satis doceat. Ita Chrocinum, quem seriores scriptores Maiorem domus re vera nominant, ⁵⁾ Gregorius his fere verbis praedicat: ⁶⁾ „Nam saepe a novo fundans villas, ponens vineas, aedificans domos, culturas erigens, vocatis Episcopis, quorum parva erat facultas, dato epulo ipsas domos cum cultoribus et culturis, cum argento, peristromatibus, utensilibus, ministris et famulis benigne distribuebat ect.“ Gregorius vero ipse hunc nec Maiorem domus, nec alium quendam ministerialem nominat, nil, nisi eius „bonitatem atque pietatem“ summis laudibus praedicans. Quamquam illud fundere villas, ponere vineas, aedificare domos, et culturas erigere ad villarum praefectum recte referri potest. Deinde porro Waddonem huiusmodi villarum et puerorum regionum putant praefectum, quem quidem ipse Gregorius Maiorem domus nominat et Rigunthem Chilperici filiam, quae in Hispaniam matrimonii causa proficiscebatur, comitatum fuisse narrat. ⁶⁾ Ex iis vero, quae Gregorius adiecit, „qui olim Sanctonicum rexerat comitatum,“ colligere facile possumus, Maioris domus dignitatem longe aliam fuisse, quam eius, qui Mancipiis adnumeratur, nisi forte is, qui antea comitatum rexerat, a publico remotus, in villis umbratilem quasi vitam degere praeoptaverit. Et quid magis unquam contra illam de Maiore domus sententiam pugnare videtur, quam tota Waddonis historia? Rigunthe enim perfido modo relicta ad Gundobaldum, qui regis Chlotharii filium et Guntramni fratrem se iactans, Guntramnum regno depellere sibi que regale nomen et regiam potestatem vindicare conabatur, confugit; ⁷⁾ cum vero Gundebaldi res non optimo gauderent eventu, eum deserit ⁸⁾ et ad Brunichildem, ut ab ipsa quodammodo tueretur, sese recipit. ⁹⁾ Nonne inde apparet, Maiorem domus non modo ex libero arbitrio egisse, sed etiam opibus tantum valuisse, quantum villarum et domus regiae praefectus nullo unquam modo valuerit? Attamen, ut mihi quidem videtur, Waddonis omnino admodum dubia et quasi incerta apparet conditio; Aimoinus

enim eundem Waddonem ¹⁰⁾ non Maiorem domus, sed Cubicularium ¹¹⁾ Rigunthis nominat, addens: „vir haud spernendae potentiae.“ Fortasse haec sententiarum varietas ita explicari potest, ut ponamus, Waddonem non hoc ipso tempore, quo Rigunthem in Hispaniam sequebatur, Maioris domus munere fuisse ornatum, sed ei, cum antea aliquando Maior domus fuisset, hoc nomen ab aequalibus et a scriptoribus, ut fieri solet, honoris quasi causa vel tanquam ornamentum tributum fuisse. Quod si verum sit, explicare quoque possumus, quomodo et cur St. Leodegario et aliis, de quorum Maioris domus munere nihil in scriptoribus invenitur, nomina tamen Maiorum domus passim tribuantur. Contra vero idem Aimoinus Gogonem, cui Gregorius ¹²⁾ nutritii regis nomen tribuit, historiam istam epitomatam secutus, ¹³⁾ Maiorem domus appellare non dubitavit. ¹⁴⁾ Et Wandelinus, qui Gogonem munere secutus fuisse narratur, ¹⁵⁾ sicuti ipse Gogo nutritius, ita nutritor Childeberti regis perhibetur, ¹⁶⁾ quem Maioris domus munere neutiquam ornatum fuisse inde videmus, quod post ipsius obitum nullus in eius locum substitutus est.

§. 6.

Iam nunc videamus de iis, quae huic vulgari fere de Maioris domus prima conditione sententiae ex serioribus Merovingorum temporibus maxime adversari videantur. Quae vero vel quanta sunt, quae ex historia seriorum Maiorum domus huic de primis sententiae aliquantulum certe respondeant? Nihil quidquam ex hoc genere invenias. Quid enim dicam de electione Maiorum domus? quam non per solum regem, nec per aliquos et certos e leudibus, sed ab omnibus simul, uno iure, uno consensu, uno quasi ore institutam fuisse satis constat. Quid de nominibus, quibus, praeter illud Maioris domus, hi ministeriales et ab initio et seriori tempore praedicabantur? Quid denique de seriorum Maiorum domus infinita et paene incredibili potestate, quae vel turbulentissimis temporibus ita repente tamen augeri atque succrescere non potuisset, nisi principium eius et quasi radices, in prima et vera Maioris domus conditione quodammodo latuissent? Et quid commercii villarum et domus regiae praefectus cum rebus bellicis habere unquam potuit? vel quae ei erat ex rebus rusticis ad res publicas perveniendi oblata occasio? vel cur prae omnibus hic Ministerialis regiam potestatem sibi vindicare potuit, siquidem alii aureae illi sedi multo erant propiores dignitate, quam villarum et puerorum regionum praefectus? Cur non aliquis e Comitibus? cur non e Ducibus? — —

Atque quod ad Maioris domus potestatem pertinet, non tantum ex quo gens illa Pippiniana hoc munere ornata fuit, huius ministerialis potestas inter omnes praecipue eminebat, verum etiam iam prius et in bellum mittebantur et aliis praeficiebantur negotiis, quae cum rusticatione ne comparare quidem quisquam potest. Sic Berthoaldus ad fiscum inquirendum mittitur; ¹⁾ idem Berthoaldus cum Landerico, Neustrasiorum Maiori domus, pugnam iniit; ²⁾ Warnacharius a Brunichilde simul cum Sigiberto Theodorici filio in Thoringiam mittitur, ut gentes ultra Rhenum habitantes ad seditiones Chlothario molendas incitaret; ³⁾ et ex hoc genere multa alia tradiderunt nobis de Maioribus domus scriptores, e quibus iam ab initio quasi conditae et stabilitae potestatis vestigia facile quisque cognoscere potest.

§. 7.

Ex Fredegarii Chronico ¹⁾ porro apparet, munus Maioris domus ante Warnacharium non ad vitam uni eodemque delatum fuisse, sed fortasse anniversario quoque peracto, ad alium, quemcunque aptissimum putaverint leudes, pervenisse. Quod nisi ita fuisset, non video causam idoneam, cur Warnacharius sacramentum a Chlothario exegerit, „ne unquam vitae suae temporibus degradaretur.“ Contra vero de regalium villarum praefecto, qui, quod per se constat, vel ab ipso rege, vel certe regis iussu eligebatur, huiusmodi singulis annis iterata et restaurata electio hanc sane ob causam probari non potest, quia ad eiusmodi negotium recte perficiendum, quo quis exercitior est, eo aptior quoque necessario fit, et aptissimum quemque optimum semper esse, nemo est, quin concedat. Quae cum ita sint, non possum non hanc de Maiore domus magis vetustate quodammodo sancitam, quam certis et idoneis argumentis confirmatam plane reiicere sententiam, quod iis, quae hactenus disputavi, satis comprobasse mihi videor. At vero illud sane fatendum est, si vera esset illa sententia, in eo nihil esse, in quo offendamus, quod hic ministerialis prima conditione relicta, vetus nomen tamen retinuerit, quippe cum alii quoque ex veterum Francorum pueris regibus sub eodem nomine aliis et multo altioribus muneribus tempore procedente fuerint ornati. ²⁾ Atqui ita ab iis, qui vulgarem sententiam comprobata voluerunt, mihi dissentendum esse putaverim, ut Maiores illos longe alios, quam Maiorem domus habitos velim, tum legis Salicae et Gregorii auctoritate, tum iis, quae in Caroli Magni capitulari de villis ad Maiores spectant, satis adiutus. ³⁾ — Maior autem in regum Francorum

villis eundem fere obtinuisse mihi videtur locum, quem in Romanorum villis villicus. Nam villicationis, ut Columellae verbo utar, ipsa natura huiusmodi ministrum flagitasse videtur. Erant ergo villicus et Maior, praeter nominis varietatem, paene iidem, ita, ut suum quaeque aut Maiorem aut villicum haberet villa. Nam erant uterque ex servorum numero, quamquam non e rudissimis, sed ex politioribus, et ceteris, qui partim ad agriculturam, partim ad rem pecuariam, partim ad quodcunque aliud rerum rusticarum negotium spectabant, ministris praefecti ²⁾).

CAP. II.

De Sismondii de eodem Ministeriali paucis abhinc annis proposita sententia.

§. 1.

Quod M. Fab. Quintilianus ¹⁾ de Demosthene et Homero dixit, „modestia et circumspetto iudicio de tantis viris esse pronuntiandum, ne damnent, quae non intelligant,“ idem quantopere praecipue iuvenibus de doctorum virorum sententiis iudicantibus sit observandum, per se satis constat. Atque ita sine dubio mihi quoque, qui de sententiis nuper a doctissimis viris de Maiore domus propositis iudicium quoddam prolaturus sim, nihil magis erit spectandum, quam illa modestia et circumspetto iudicio uti, quorum alteram quidem, modestiam, iuvenili animo maxime accommodatam, facile sibi quisque, quoties voluerit, comparabit, alterum vero, circumspectum iudicium, exercitato et maturo ingenio magis proprium, non nisi multorum annorum studio et continuo labore assequi quisque potest. Quamvis igitur primam in sequentibus, ut par est, adhibere non modo possimus, sed debeamus, alterum tamen quotusquisque est iuvenum, vel unquam fuit tam insolens, qui de se gloriari audeat? Neque quemquam, cum de tantorum virorum sententiis quaedam proferre mihi liceat, circumspectum illud, sed potius iuvenile expectaturum esse puto iudicium.

Prima igitur, de qua quid sentiamus, nunc exponendum est, sententia proposita est a viro clarissimo Simone de Sismondi ²⁾. Qui quidem difficultates e diversis scriptorum de illo Ministeriali, quem Maiorem domus appellarunt, locis enatas optime ita expedire sibi visus est, ut non unum, sed duos eodem

Maiorum domus nomine in Francorum regno Ministerialis designatos fuisse opinetur, alterum rei familiaris regis praefectum³⁾, alterum summum in regno iudicem. Quae sententia quatenus cum vulgari illa congruat, cuique facile patet. Nam ita tantum ab iis, qui Maiorem domus pueris regiis praefectum fuisse putarunt, dissentitur Sismondus, ut, praeter hunc rei domesticae regis quasi moderatorem, alium eiusdem nominis non tam regis, quam gentis ministerialem in Francorum civitate constitutum fuisse putet, cuius nomen tamen in ipsa Francorum vernacula lingua Morddom fuerit. Quum vero in primo commentationis nostrae capite satis, aut certe quantum pro virium tenuitate fieri potuit, demonstratum sit, cur vulgari de Maioris domus origine sententia probari non possit, de altero Sismondii Maiore domus fere nihil habeo, quod adiciam. At credere vix possum, duos eosque munere tam diversos ministeriales, eodem tamen nomine fuisse appellatos. Quod vero Mummolum Waddonem et Badegifilum huiusmodi Maiores domus fuisse contendit Sismondus, Mummolus quidem, etiam si rei familiari regis praepositus fuerit, semper tamen non, nisi Praefectus⁴⁾ nominatur, quod nomen aliis quoque, qui non huiusmodi munere praediti fuisse dicuntur, saepius tribuitur⁵⁾. De Waddone vero et Gogone iam in antecedentibus sermo fuit, (Cap. I. §. 5.) quorum neuter regis rei familiari praefectus fuisse videtur; quamquam Waddo ab ipso Gregorio fere semper Maior domus nuncupatur. Atque unde concludere licet, Badegifilum domus regiae praefectum fuisse, de quo nihil narratur, nisi eum episcopum fuisse ordinatum⁶⁾? Num ex solo Maioris domus nomine, quod ei tribuitur? — Quae cum ita sint, nec duos idem nomen habuisse ministeriales, nec Maiorem domus rei domesticae regis praefectum fuisse, mihi persuasum est, nisi forte ita Sismondus ipse sententiam intellectam voluerit, ut unus ex suis Maioribus domus, quem scilicet domus regiae praefectum putat, idem fuerit, atque Maior ille, quem cum Romanorum villico supra comparavimus. —

§. 2.

Quod vero ad alterum Maiorem domus pertinet, quem Sismondus summum in regno iudicem putat⁷⁾, haud dissimilis haec sententia eorum videtur esse sententiae, qui Maiorem domus cum Praefecto Praetorio imperatorum Romanorum compararunt⁸⁾. Quam comparisonem etiam si non nimis alienam, ambigam tamen atque incertam propterea praecipue esse putaverim, quod

Praefectorum praetorio aliis temporibus alia fuit conditio³⁾. — Quum vero Sismondus huius summi in regno iudicis nomen in ipsa Germanorum vernacula lingua Morddom fuisse opinetur, quod nomen Romanorum auribus tanquam Maior domus sonuerit, primum videamus, quae vis atque notio verbis *Mord* et *dom* sit subiicienda. Verbum *Mord* igitur in prisca illa Germanorum lingua nihil aliud significabat, quam in vernacula nostra adhuc hodie⁴⁾, caedes, internecio, atque altera vox *dom* fortasse iudicem re vera significasse potest; quamquam, quantum scio, inter omnes convenit, vocem *dom* potius iudicium, iurisdictionem, quam iudicem indicasse⁵⁾. Quamvis vero utraque vox, separatim quidem scripta, has obtinuerit significationes apud veteres Germanos, et in illius aetatis scriptoribus passim inveniuntur, iam propterea tamen Sismondii sententia quodammodo infirmatur, quod illae voces ita compositae, quantum equidem scio, nullius unquam scriptoris auctoritate probatae⁶⁾, a Sismondio ipso demum in prisca illam Maiorum linguam receptae et quasi civitate donatae fuisse videntur. Quod utrum licuerit Sismondio, diiudicent alii, quorum quo latior et accuratior est harum rerum cognitio, eo magis auctoritas et iudicium valebit. Attamen, ut mea quidem fert opinio, si re vera huiusmodi ministerialis in Francorum regno exstiterit, mirum sane est, cur scriptores, quorum libri ex Merovingorum aetate nobis servati sunt, quamvis permulta alia ex ipsa Germanorum lingua, sive quomodo ea latine reddant, ignorantes, sive ne falsa et perversa verborum interpretatione sensum depravent, metuentes, retinuerint verba, hoc tamen summi iudicis germanicum nomen „Morddom“ in scripta non receperint. Ut enim nonnulla certe exempli causa ex hoc genere proferamus, in legibus quidem veterum Germanorum permulta huiusmodi linguae patrum invenimus quasi monumenta atque reliquias. Ita verbum illi simillimum „mortaudo“, quod occidere interpretati sunt ii, qui leges litteris mandarunt, in Allemannorum legibus passim deprehendimus⁷⁾. In Ripuariorum quoque legibus permulta ex hoc genere inveniuntur; e. g. forbannitus, i. e. fs, qui in exilium eiectus est⁸⁾. Porro plerumque quae ad armaturam et res bellicas spectant, lingua vernacula Ripuariorum, adiecta haud raro latina interpretatione, retinuerunt; e. g. spata cum scogilo, i. e. gladius simul cum vagina, brunia, i. e. lorica, helmus, i. e. galea, bainbergae, i. e. ocreae ferreae seu tibialia⁹⁾; et quae talia innumera sunt, quae si deinceps enumerare velim, vehementer vereor, ne diutius in rebus non necessariis ad rem commorer, et legentibus taedium quoddam subnascatur. Illud tantum ad-

dere liceat, quod scriptores Ministerialium veterum Germanorum nomina fere semper ipsa germanica lingua retinuerunt. Qua propter multo magis mirandum esset, si re vera in Francorum civitate Morddom ille fuerit constitutus, omnium Ministerialium huius solius nomen ita temere et inconsiderate depravasse atque corrupisse scriptores. Ita enim invenimus saepius Mariscalcum, ita Senescalcum, ita Grafiones, Sachibarones, Rachinburgios, ita Tunginos, ita multos alios; solus Morddom a nemine unquam nominatur. At ponamus, fuisse eiusmodi ministerialem in Francorum civitate, est tamen, quod quaeramus, qui factum sit, ut verbum Morddom Romanorum auribus tanquam Maiordomus sonuerit. Inter utramque vocem sane simile quoddam atque quasi congruum facile audiri, nec ego negaverim. Attamen cum plerumque gens quaedam in peregrinarum vocum sono imitando, earum scilicet vim atque notionem paene ignorans, potius corripiat atque contrahat, quam producat atque extendat verba, vix crediderim, Romanos sonitum tantum verbi Morddom imitantes, id ita produxisse, ut integra paene syllaba inserta Maiordomus pronuntiarint. Itaque haud scio, an potius e verbis Maior. domus per soni imitationem Morddom oriri potuerit, quam ex hoc illud Maioris domus nomen. Nonne mediæ aevi scriptores germanicum nomen huius ministerialis plane omittebant eius notionem atque munus latinis verbis exprimere praetulerint? ¹⁰⁾ — Non scriptores semel certe adnotaverint, Germanos in ipsorum lingua hunc summum iudicem Morddom nominare solere ¹¹⁾? —

§. 3.

Accedunt vero alia argumenta, quibus haec sententia magis etiam infirmari posse videtur. Ac primum quidem illi Morddom, quem summum in regno iudicem putat Sismondus, praeter Maioris domus nomen, a scriptoribus alia quoque haud raro tribuuntur nomina, quorum quo magis et accuratius quodque veram et primam huius ministerialis indicare videtur conditionem, eo facilius et clarius intelligimus, Maiorem domus non tam summi iudicis dignitate et potestate fuisse ornatum, quam potius eius officia et ad totum regnum administrandum, et ad regiam aulam praecipue spectasse. Sed quae fuerint illa nomina, et quid inde colligere liceat, infra videbimus. (Pars I. Cap. III. § 4.) Deinde vero tota Sismondii de Maiore domus sententia ¹⁾ nititur incerto haud magis certi et luculenti auctoris testimonio ²⁾. Quicumque enim istius historiae Francorum epitomatae auctor fuerit, nulla paene fides ei ha-

benda est, quippe qui permulta, ut mihi videtur, ficta et commenta, de quibus in Gregorio, quem secutus est, ne vestigium quidem reperitur, sine ulla cuiusquam auctoritate libello inferuerit; ita de Chrodini et Gogonis electione nec Gregorius, nec alii, nisi seriores, historiam epitomatam temere secuti, quidquam afferunt. Nihilominus tamen Sifmondus praesertim verbis „nec quemquam interficere“, quae haud temere sibi visus est ita germanice reddere: „*Er könnte Niemand morddohmen*,“ inductus suam de Maioris domus munere atque dignitate sententiam promulgavit. Neque vero causa idonea intelligitur, cur huius summi iudicis nomen ab eo ipsius negotio depromptum fuerit, quod per se unius cuiusque animum metu et terrore perfundere debuerit, quasi summo regni iudici non, nisi de talibus inquirendum fuerit criminibus, quae supplicio capitali fuerint mulctanda. Praeterea Chrodinus, quem auctor loquentem introduxit, haec quoque ait: „non possum facere ex eis disciplinam,“ quae verba praecipuum Maioris domus officium indicare videntur, quae vero sequuntur: „nec quemquam interficere“, non nisi partem et, ut ita dicam, speciem quandam illius disciplinae describere, et quasi explicandi vel amplificandi causa adiecta esse videantur. Quod vero Sifmondus brachile summae iudiciariae potestatis signum et ornamentum putat, equidem haud scio, an verba, quae in margine adnotata invenimus³⁾: „brachium Gogonis in manu tenens“ illis, quae textus exhibet, verbis: „brachile Gogoni in collo tenens“ longe praeferenda atque in textum recipienda sint⁴⁾, idque, tum propterea, quod nullo alio loco de eiusmodi Maioris domus ornamento quidquam commemorant scriptores, tum quia brachile omnino non ad civilem dignitatem quodammodo augendam pertinebat, sed ad Monachorum atque Clericorum vestimenta spectabat⁵⁾.

§. 4.

Praetermissis autem his quasi exterioribus argumentis, nunc videamus, utrum et quatenus huiusmodi summus iudex, qui eos, qui nimis intemperanter et insolenter egissent, in iudicium capitis vocavit, cum totius Francorum civitatis rationi, tum praecipue Francicarum legum ingenio conveniat. Si igitur Sifmondus summum iudicem talem putavit, qualis capitali supplicio potentum insolentiam et crimina coercuerit atque oppresserit, repugnare videtur huic sententiae legum Francorum ingenium atque indoles. Quod enim Mascovius dixit, Francorum leges a Necessitate fuisse quasi dictatas, a Libertate consigna-

tas¹⁾, quam verum sit, quisque intelliget, qui vel mediocrem tantum harum legum sibi comparaverit notitiam. Haec Libertas vero neutiquam tale supplicium permittit, quod omne libertatis vestigium necessario deleverit; et re vera Francorum leges non, nisi perraro mortis supplicium flagitant²⁾. Nam Francorum leges in criminibus puniendis non tam ad eum, qui crimen quoddam commiserit, quam ad crimen ipsum, quanti faciendum sit, spectare, nemo est, qui nesciat. Quocirca sicuti apud veteres Germanos ipsum homicidii crimen certo quodam armentorum ac pecorum numero lvi solebat³⁾, ita ex legum Francicarum conditione quodcunque crimen, sive minimi fuerit ponderis, sive ipsum crudelissimum homicidium, pro damni magnitudine solidorum certo numero compensabatur⁴⁾. Quam quidem compensationem Tacitus satisfactionem, lex Salica autem et medii aevi scriptores compositionem vocant⁵⁾. Interdum, si quis magnum quoddam crimen commiserat, campo diiudicabatur⁶⁾, eo quasi consilio, ut divino numini iudicium permitteretur; permagnam quoque poenam, si haec poena ac non potius ignominia habenda est, „barbae rationem“ fuisse affert Gestarum Dagoberti I auctor⁷⁾, et ita aliae multae commemorantur a scriptoribus poenae, quae omnes ex ingenio et tota vivendi ratione gentis Francorum facile explicari possunt. Contra vero capitis supplicio perpauci tantum iique non, nisi vel rege iubente⁸⁾, vel toto exercitu urgente⁹⁾, afficiebantur. Si igitur ex legibus et institutis gentis cuiusdam de eiusdem gentis ingenio et moribus coniecturam facere omnino fas est, haud scio, an contendere possit, huiusmodi Morddom in Francorum civitate non modo non necessarium, sed etiam illi natura quasi insito libertatis studio ne accommodatum quidem fuisse. At dicat aliquis, tempore Childeberti II Francos iam ita a patrum et maiorum consuetudine degenerasse, ut avitae leges non eandem adhuc vim atque virtutem obtinuerint. Quod etiam in controversiam vocare liceat, iam propterea tamen ad nostram rem nihil valere potest, quod Maiores domus iam prius constitutos fuisse satis constat, quod Sismondus ipse concedendum putavit.

§. 5.

Si vero Sismondus nomen Morddom fortasse ita intellectum voluerit, ut vel iudicem de caedibus perpetratis, (*Richter über Mord*) vel nihil, nisi summam iudicariam potestatem indicet, liquidem eum significarit, penes quem vitae necisque potestas fuerit; tota in Francorum civitate constituta et usitata iurisdictionis ratio quodammodo repugnare videatur. Nam primum summa et

primaria iudiciaria potestate Regem ipsum praeditum fuisse, ex multis tum legum Francicarum, tum historicorum locis colligere possumus. Eae certe causae et lites coram rege diiudicabantur, quae satis graves erant et praecipue ad domum regiam et regis familiam spectabant¹⁾. Ita Rex inter eos, qui iudicia moderari solebant, in Lege Ripuariorum nominatur²⁾, eique supremum et quasi ultimum iudicium licuisse, ex eo legis Salicae titulo apparet, quo is, qui ad Mallum venire noluerit, ad Regis iudicium arcessitur³⁾. Proximi deinde regi iurisdictionis participes fuisse videntur, Patricii, quod illo iam laudato legis Ripuariorum loco multorumque aliorum scriptorum testimoniis facile cuique persuadebitur⁴⁾. Patricii igitur summam ius dicendi potestatem haud dubie in iis provinciis habebant, quibus praefecti erant⁵⁾. De Celso quidem, cui patricii munus atque dignitas delegabatur a Guntramno rege, cum multae aliae, tum haec tanquam propria virtus praedicatur, eum „iuris lectione“ fuisse peritum⁶⁾, unde concludere liceat, iuris peritiam quasi necessariam fuisse ad munus Patriciatus suscipiendum. Porro plerumque Comites iudicia exercebant, quorum duo fuisse genera cuique notum est, alterum quidem Comitum Palatii, alterum Comitum κατ' ἐξοχὴν sic dictorum. Comites quidem Palatii seu Palatini, quod nomen ipsum docet, in regis Palatio eas praecipue causas, quae ad regis familiam seu pueros regios spectabant, decernere atque diiudicare solebant⁷⁾. Praeter palatinas vero causas, ut ita dicam, etiam alias lites a comitibus Palatii compositas fuisse, Hincmarus testatur⁸⁾, ita quidem, ut, si qui ex Francorum gente de aliqua re litigantes, in Regis Palatio ipso controversiam diremtam voluerint, Comes Palatii huiusmodi litem sedare deberet. Alterum contra comitum genus in provinciis ius dicebat, aut, ut Tacitus dicit, iura per pagos vicosque reddebat⁹⁾; qui comites haud raro ipso germanico nomine Grafiones¹⁰⁾ nominantur. Interdum quoque iudices fiscales commemorantur¹¹⁾. Quum vero Comites saepissime aliis negotiis impedirentur, quominus ipsi causis diiudicandis adesse possent, eorum vices ii obibant, quos Vicarios dictos saepius invenimus¹²⁾. Et hi fere erant praecipui superioris quidem ordinis iudices in Francorum civitate. Inferiores iudices erant Tungini et Centenarii, qui praesertim causas privatas et iudicia, quae ad Francorum res familiares spectabant, egisse videntur¹³⁾. Praeterea praesaepe arbitri a Francis ad lites componendas, idque praecipue a regibus, si de gravissimis rebus disceptatio quaedam orta fuisset, eligebantur; ita Gregorius Guntramnum cum Sigiberto litigantem Episcopus totius regni congregasse narrat, „ut inter utros-

que, quid veritas haberet, edicerent.“¹⁴⁾ Pari modo Dagobertus I et Chlotarius, ipsius pater, de regni divisione disceptantes duodecim ex Francorum proceribus eligunt, ut, quomodo regnum inter patrem et filium dividendum sit; sine ullo partium studio decernant.¹⁵⁾ Si igitur haec omnia animo computamus, Morddom illum vix idoneum locum inter iudices obtinere potuisse, satis patet. Itaque equidem verbum Morddom ita interpretari vix ausim, quia praeter hos, quos iudiciis praefuisse nunc non tam exposui, quam attigi tantum pro commentationis consilio et ratione, huiusmodi summum iudicem fere non necessarium fuisse putaverim.

§. 6.

Licet vero Maiores domus semel certe in Lege Ripuariorum¹⁾ iis adscribantur, qui iudiciis moderandis praefuerint, hic ipse titulus tamen, etiam si non tota lex Ripuariorum sub Dagoberto I collocata sit, seriori demum tempore, cum Maiorum domus potestas iam paene eadem erat, ac quae regalis, adiectus fuisse videatur. Marculfus contra in „Prologo de regis iudicio, cum de magna re duo causantur simul,“²⁾ quo omnes, qui simul cum rege iudicia exercuerint, enarrantur, de Maiore domus tamen plane nihil dixit. Neque vero in historicorum libris Maiores domus tales nominantur, qui iudiciis interfuerint, nisi tum demum, cum sicuti tota regis potestas atque dignitas, ita ea quoque iurisdictionis pars, quae prius ad regem ipsum pertinuerat, ad hos ministeriales devenerat. Quae cum sic se habeant et cum praecipue nominis huius ministerialis origo a Sismondio proposita admodum dubia atque incerta esse videatur, Sismondii de Maioris domus origine et prima conditione sententiam, quamvis maxima cum sagacitate excogitatam et summa cum eruditione expositam, locum tamen habere posse et satis idoneis argumentis unquam confirmatum iri, vix mihi persuadebitur. Quamquam eo quodammodo si non commendatur, defendi certe potest haec sententia, quod cum seriorum Maiorum domus conditione convenire videtur. Nam sicuti electio per omnes leudes ex hac sententia facile explicatur, ita summa iudiciaria potestas haud dubie fundamentum eius potestatis et auctoritatis esse potuisset, quae ad regnum ipsum adspirare non dubitabat. Sed haec sufficiant de Sismondii sententia, quae quatenus probanda sit et quantum ad Maioris domus primam conditionem illustrandam attulerit, multo facilius et clarius ii perspicient, quorum tum fontium, e quibus haurienda sunt huiusmodi commentationis te-

stimonia latior et accuratior est cognitio, tum omnino longo historiae studiis rectius atque subtilius de eiusmodi disquisitione iudicium.

CAP. III.

De sententia Ludenii, et nova quaedam de Maiore domus.

§. 1.

Iam vero relicta Sismondii sententia progrediamur ad alteram, quam eodem fere tempore de Francorum Maiore domus H. Luden, vir doctissimus et praeclarissimus, novam et ab iis, quae adhuc proposuerunt docti, longe diversam in lucem protulit. Fuit igitur ex Ludenii sententia Maior domus a leudibus electus fisco seu beneficiorum, quae aetas vocat, summae praefectus, ideoque vir maximae auctoritatis in Francorum regno, quippe quod in beneficiis tanquam fundamento positum esset.¹⁾ Quae sententia cum propter novitatis gratiam legentis animum non minus quodammodo captet, quam propter quandam proprietatis facilitatem praecipue commendetur, accuratissima sane opus erit perveſtigatione, ut inquiramus, utrum et quatenus haec sententia tum Francorum civitatis rationi, tum iis, quae de Maioribus domus scriptores tradunt, conveniat atque prorsus sit probanda, an nova quaedam de hoc ministeriali e fontibus eruere et in lucem promere liceat. Priusquam vero, quid de Ludenii sententia vel omnino de Maioris domus, prima conditione nos sentiamus, explicemus, in verbis quibusdam interpretandis versetur necesse est. Ac primum quidem, cum tota illa sententia ad fiscum spectaverit, aperiendum erit, quid significet fiscus, et quae fuerit huius verbi in Francorum civitate vis atque notio; deinde vero de nomine Maioris domus aliisque, quibus idem ministerialis a scriptoribus appellatur, formulis differendum et quid inde colligi possit, breviter erit enucleandum.

§. 2.

Verbum Fisci igitur, ne quid de significatione propria huius vocis dicam, in Francorum civitate primum eandem fere vim atque notionem obtinuit, quam ultimis imperii Romani temporibus obtinuisse constat.²⁾ Dicebatur

enim Fiscus thesaurus publicus sive aerarium, quo vectigalia, portoria et quaecunque alia ad reditus vel fructus publicos spectaverint, congregabantur. Quem ad Fiscum v. c. compositionum quaedam pars pertinuisse videtur, ²⁾ et comites debitum quoddam servitium intulisse Gregorius narrat. ³⁾ Fiscum Palatii fortasse eundem thesaurum publicum auctor Gestorum Regum Francorum propterea nuncupavit, ⁴⁾ quod in regis Palatio sine dubio ad usus publicos recondebatur. Sicuti vero imperatorum Romanorum thesaurus Fiscus fere semper appellabatur, ita in Francorum regno non modo regalis thesaurus Fiscus, ⁵⁾ verum etiam singulae villae aut possessiones, quae quasi partes illius thesauri erant, Fisci haud raro nominantur, ita quidem, ut plerumque adiectivum „regalis“ vel „regius“ apponatur. ⁶⁾ Inde porro factum est, ut res, quae ad regales villas et possessionis pertinuisse videntur, fiscales perhiberentur; ita invenimus domus fiscales, ⁷⁾ iumenta fiscalia, ⁸⁾ vinitorem fiscalem, ⁹⁾ et ex hoc genere multa alia. Seriori quidem tempore etiam Maiores domus, cum regiae potestas iam paene profus ad hos ministeriales pervenerat, fiscales possessiones tanquam proprias habuisse, ex multis scriptorum testimoniis concludere licet. ¹⁰⁾ Significatione autem quodammodo translata verbum Fisci Merovingorum aetate bonum illud publicum, vel agrorum quandam communionem, de qua singulis Francorum sua cuique pars ad vitam concedebatur, indicasse videtur. Franci nimirum iteratis in Galliae provincias incursionibus totam fere Galliam in ipsorum potestatem redegerant, non ita tamen, ut, quae occupata essent, ei soli, quem Romani regem Francorum putabant, ex suo ipsius arbitrio regenda atque distribuenda permetterentur, sed potius ita, ut quot comitatus, quem vocant scriptores, locii, totidem eorum, quae coniunctis simul viribus expugnassent, quodammodo essent participes. Quod ut recte efficeretur et non modo semel occupata terra apte defendi, verum etiam imperium augeri atque amplificari posset, certa distribuendi ratione et quadam disciplina opus fuisse videtur. Erat vero talis necessitate quasi effecta disciplina fere haec: Cuique Francorum ager quidam, quem administraret et fructos inde caperet quam maximos, laborum quasi remuneratio atque praemium concedebatur ex tota terra occupata. Hic enim erat Francorum thesaurus, hic Fiscus. Huiusmodi beneficio ¹¹⁾ vero velut sacramento obstrictus quisque se comitatus socium porro profiteri et ducem, quoties opus esset, sequi coactus erat. ¹²⁾ Huic Fisci parti, quam quis propter stipendia vel munus quoddam publicum susceptum acceperat, id opponitur, quodcumque proprium sibi quisque vindicaret,

vel quod alicui iure hereditario obtigerat et, ut ait Marculfus, cuiusque proprietatis erat.¹³⁾ Cum autem ita Fiscus per se quasi stabilitum et nullius unquam arbitrio obnoxium esset bonum publicum, haud difficile sane est explicatu, cur in Francorum Legibus Fisco dandi et concedendi facultas, tamquam personae, attribueretur.¹⁴⁾ Atque ut Fiscus per se sustineretur quodammodo, et iterum iterumque restitueretur, illud lege erat institutum, ut tum iis, qui bonum quoddam fiscale tenuissent, defunctis, hoc beneficium ad fiscum ipsum rediret,¹⁵⁾ tum ii, qui ob crimina patrata beneficiis indigni iudicarentur, bonis fiscalibus privarentur;¹⁶⁾ praeterea vero multa alia bona quocumque modo ad fiscum conferebantur.¹⁷⁾ Quamvis igitur huic Fisco ipsi dandi ius quasi proprium a scriptoribus tribuatur, neminem tamen illud in controversiam unquam vocaturum esse putaverim, utrum Fisco praefectus aliquis vel administrator in Francorum civitate re vera fuerit constitutus, nec ne, quippe quem cum ipsa huiusmodi boni publici natura, tum praecipue Francis usitata civitatis administrandae atque defendendae ratio flagitasse videatur. Utrum vero Maior domus an alius quis, an vero etiam rex ipse hic praefectus fuerit, de hoc sane potest disceptari.

§. 3.

Sed cum Ludenius Maiorem domus praefectum Fisco putaverit, de nomine Maioris domus aliisque, quibus designatur hic ministerialis, formulis quid iudicandum sit, et quatenus illi sententiae convenient, nunc videre opportunum erit. Ac primum quidem illud non longam desiderat orationem, verbum Maioris talem indicasse, qualis quendam prae ceteris obtinuerit principatum, praefectoria quodammodo potestate atque dignitate fuerit ornatus et vel rei cuidam vel hominibus quibusdam praepositus, quod cum ex ipso verbo per se apparet, tum medii aevi loquendi usu atque consuetudine satis probatur. Nam illum quoque Maiorem, quem villarum ministris praefuisse supra commemoravimus, quamvis ipsis mancipiis adscriptus fuerit, praefecti tamen locum inter haec mancipia tenuisse, et quodam vel principatus, vel honoris gradu eminuisse, nemo negabit. Atque qui proximi regi erant dignitate et praecipuis civitatis Francorum muneribus fungebantur, Maiores natu¹⁾ vel homines Maiores natu²⁾ haud raro appellantur. Quorum quis fuerit principatus, facile ex iis concludere possumus formulis, quibus iidem passim indicantur. Nominantur enim tum Meliores natu,³⁾ tum primi de latere regis,⁴⁾

tum optimi viri,⁵⁾ tum viri fortiores,⁶⁾ tum proceres aulici et aulici regii,⁷⁾ tum aulici palatini,⁸⁾ tum denique aulici regis⁹⁾ et quovis alio modo primaria post regem dignitas in Francorum regno designata fuerit; in Burgundia vero iidem Burgundiae Farones¹⁰⁾ nominati fuisse videntur. Atqui verbum Maioris haud dubie in Maioris domus nomine eum indicat, qui honoris et dignitatis gradu ceteris superior fuerit, de quo omnes, puto, consentiunt. Contra vero de eo, utrum ex germanico *Meyer* derivandum sit verbum Maioris, an ex hoc illud a serioribus demum ita formatum, dubitari sane et disputari potest. Plurimi enim eique eruditissimi et in his rebus eximia cum laude versati iis adstipulantur, qui nomen Maioris ex Germanico *Meyer* fluxisse contendunt. Praetermissis vero ceteris, qui hoc contenderint, Adelungium¹¹⁾ et Eccardum,¹²⁾ viros spectatissimae eruditionis inter paucos, huius sententiae auctores nominare sufficiet. Equidem vero verbum *Meyer* ex Maioris nomine originem seriori demum tempore duxisse praecipue propterea putaverim, quod de usu vocis *Meyer* primis regni Francorum temporibus nulla nobis ne minima quidem exstant vestigia; sed tum demum hoc verbum passim invenitur apud scriptores, cum iam periclitari coeptum erat, ea vernacula ipsa lingua reddere, quae prius non, nisi latine exprimi et ita per vulgi ora vagari solebant; cuius quidem periculi quasi quaedam necessitas, quanto magis illa Francorum orientalium et occidentalium disiunctio, quae anno demum 888 in perpetuum effecta est, linguae quoque quandam diversitatem procreabat atque quasi flagitabat, tanto plus et crebrius sine dubio orta fuisse videatur. Unde satis apparet, scriptores et loquendi consuetudinem sensim sensimque verbum quoddam desiderasse, quo latinum Maioris nomen apte exprimi queat.¹³⁾ Praeterea causam idoneam intelligere non possumus, cur in Francorum Salicorum legibus ab ipso initio, ut putatur, latino sermone¹⁴⁾ conscribendis omnium fere Ministerialium nomina germanice retenta fuerint, contra solum nomen *Meyer* in latinum Maiorem conversum. Attamen omninone coacti sumus, quandam inter utramque vocem cognationem necessario statuere? Num una ex altera necessario derivanda est? Nonne utraque vox per se oriri, non utriusque vocis naturalis quaedam notionis similitudo illam quoque et formae et soni efficere potuerit in utraque lingua similitudinem? — Quod vero Franci, gens quippe germanica, ministerialis nomen a Romanis mutuati fuerint, in hoc quidem neminem unquam offensurum esse puto, qui, quanta fuerit Germaniae gentibus cum Romanis inde ab ipsis Arminii temporibus, vel ulterius, quam-

que varia tum rebus bellicis, tum commercio, tum denique quavis necessitudine contracta consuetudo, non ignorat. Ac, si nostra priscis comparare licet, nonne in ipsa hodierna nostra vernacula lingua ex gentium finitimarum imprimisque Francogallorum lingua permulta adhuc quasi peregrinantur, quae si quis germanice reddere voluerit, verendum sane fuisset; ne quid ridiculi, tortuosi vel plane inepti protulerit. Quae cum ita sint, nec Stumpfio,¹⁵⁾ nec iis, qui ex recentioribus eum secuti fuerint, assentiar, quippe qui per germanicum „Hausmeyer“ latinum reddendum putarunt nomen Maioris domus. Satius enim atque consultius putaverim, si quis in in libris vernacula lingua conscribendis hunc ministerialem afferre velit, ipsum latinum nomen retinere, quam sine satis idonea et gravi auctoritate ea germanice vertere, quae a linguae germanicae ingenio prorsus abhorreant, et haud satis accommodata verborum interpretatione veram rei ipsius notionem fortasse corrumpere et obscurare. —

§. 4.

Verbi domus vero quae sit prima et propria significatio, nemo est, qui nesciat. In nomine Maioris domus tamen latior huic voci atque amplior vis subiiciatur necesse est. Et latiori quidem sensu verbum domus ita ponitur, ut qui incolunt domum, qui sunt domus quasi cives; quicumque ad res domesticas administrandas pertineant, ut verbo dicam, familia ipsa sit subintelligenda. Qua significatione apud ipsos optima et aurea, quam vocant, latinitatis scriptores per saepe occurrit.¹⁾ Familiam ergo verbum domus significare quoque potest in nomine Maioris domus. Sane quidem; sed quae est tandem illa familia, qui cives domus illius, cui Maior praepositus fuerit? Num pueri regii, qui in aula seu domo regia versabantur? — Minime! repugnat electio. Num villarum regalium ministri, qui in agris dominicis rusticabantur? — Nec illi; quod enim est in Maiore domus huiusmodi praefectorii muneris vestigium? — — (Cap. I.)²⁾ Quid igitur? quatenam nobis restat verbi domus, quam Maior moderatus fuisse videtur in Francorum civitate apta interpretatio? Equidem nullam fere aliam verbo domus ita composito significari putaverim familiam, nisi societatem seu potius communionem illam civium, qui ex comitatus conditione et lege omnes simul civitatis administrandae quasi participes erant. Haec sane erat magna Francorum domus, haec familia. Analogiam quandam fortasse ex verbo Fisci petere liceat. Si-

cuti enim verbum Fisci non modo singula bona fiscalia, sed etiam horum benorum seu beneficiorum summam indicasse supra demonstravimus, ita haud scio, an verbo domus non modo singulorum familiae, sed etiam omnium familiarum quasi summa, civitas ipsa indicata fuerit. Quod ut ita sit, haud difficile est explicatu, quis Maior domus, nominis quidem ratione habita, fuisse videatur. Fuit enim civitati Francorum aliquo modo praefectus, quamquam praeter hoc, ex nomine huius ministerialis de officiis et munere plane nihil accuratius concludi potest. Cum vero magna illa Francorum familia Regis persona velut communi quodam vinculo coniuncta atque consociata esset, quomodo formula „Maior domus regiae“³⁾ explicanda sit, per se patet. Domus regia enim significare videtur familiam, quae ad regem spectat, quae cum rege, quippe duce, quodam necessitudinis vinculo coniuncta est. Simili modo interpretari possumus formulam „Maior domus in aula regis,“⁴⁾ ita quidem: praefectus familiae, quae in aulam regis quodammodo cogeatur aut ibi versabatur; quamquam verba „in aula regis“ ad solos eos ex laudibus pertinere possunt, qui praecipue in aula regis vitam degebant. Nam si Maior domus omnibus quodammodo praefectus fuerit, iis quoque, qui in aula regia erant collocati, necessario erat praepositus. Nec aliter de formula „Maior domus Palatii“⁵⁾ sentio. Nam voces aulae et Palatii eandem obtinuisse significationem testatur auctor Annalium St. Ord. St. Benedicti, quippe qui „Maiores Palatii“ per „aulae regiae proceres“ interpretetur.⁶⁾ Et Aegnam simul cum Nanthilde regina post Dagoberti I obitum „Palatium“ rexisse,⁷⁾ non eo sensu dictum, putaverim, ut solis pueris regis praefectus fuerit, sed potius ita, ut totius regni administratio ad eum pervenerit. Verba autem, quae formulae „Maior domus in palatio“ adiacentur: „et in omni regno“⁸⁾ Maioris domus conditionem accuratius indicare videntur, quasi dictum esset, Praefectus familiae, quae non modo in Palatio versatur, sed etiam per totum regnum quodammodo dispersa est. Itaque ex his facile patet, quomodo ex mediae latinitati proprio loquendi usu et civitatis Francorum ratione scriptoribus maxime usitata illius ministerialis nomina explicari possint. Sunt vero, praeter haec, alia quoque nomina, quibus Maioris domus munus et dignitas indicatur et interdum quodammodo explicatur. Quemadmodum enim regni optimates etiam praecellentes principes,⁹⁾ principes maiores,¹⁰⁾ principes aulici¹¹⁾ appellantur, ita Maiori domus, principis palatii,¹²⁾ Austrasiorum principis,¹³⁾ principis regiminis¹⁴⁾ nomina passim tribuantur. Caetera omnia tamen nomina si expli-

cando persequi velim, vereor, ne longius fiam et superflui quid faciam, quippe cum quam quodque habeat vim, etymologia ipsa satis doceat. Sunt autem, quae ego, praeter iam allata, in libris meis inveni, fere haec: Praefectus palatio,¹⁵⁾ praefectus aulae,¹⁶⁾ palatii praepositus,¹⁷⁾ gubernator palatii,¹⁸⁾ moderator palatii,¹⁹⁾ rector palatii,²⁰⁾ totius aulae et regni rector,²¹⁾ dux palatii,²²⁾ dux et Maior domus,²³⁾ Maior domatus,²⁴⁾ domus regiae magister,²⁵⁾ Comes palatii,²⁶⁾ Comes domus regiae,²⁷⁾ Senior domus,²⁸⁾ Subregulus,²⁹⁾ Patricius³⁰⁾, immo Consul Franciae.³¹⁾ Praeterea munus Maioris domus ipsum vel Maiorinatus,³²⁾ vel principatus Maioris palatii,³³⁾ vel ordo principatus,³⁴⁾ vel principatus³⁵⁾ κατ' ἐξοχὴν, vel primaria dignitas,³⁶⁾ vel denique praefecturae ordo et cura maxima regni Francorum³⁷⁾ circumscribitur. Haec nomina igitur, quamvis sint diversa, ita tamen inter se omnino congruunt, ut omnia praefectoriam et nullius paene superioris arbitrio abnoxiam indicent potestatem. Verum tamen vero, ne quid falsi inde concludatur, duae potissimum adhibendae sunt cautiones. Primum enim animadvertendum est, quo tempore haec nomina fuerint usurpatae; et reperiemus, ea tum demum sensimque orta et in vitae consuetudinem fuisse recepta, cum de prima Maioris domus conditione, praeter nomen, fortasse ne vestigium quidem exstabat. Nam, quod ex testimoniis a me allatis satis patet, priores quidem aetatis Merovingorum scriptores, ut Gregorius Turonensis, de huiusmodi formulis plane nihil praebent, sed non, nisi seriores. Itaque ex his nominibus de prima Maioris domus conditione certi quidquam vix ac ne vix quidem concludi posse putaverim. Deinde vero non praetermittendum est, haec nomina maximam partem non tam in vulgi ore et consuetudine versata, quam a scriptoribus vel explicandi causa, vel per quandam adulationem usurpata fuisse. Quum autem in Maioris domus dignitate et munere ita explicando suam quisque de hoc ministeriali sententiam simul exprimere voluisse videatur, sententiarum diversitas diversas quoque formulas et explicationes necessario procreasse, nemo non intelliget. Quod quam verum sit inde concludere licet, quod scriptores aliud fortasse non satis usitatum huius ministerialis nomen usurpantes, haud raro ipsum Maioris domus nomen explicandi causa adiiciunt.³⁸⁾ Si igitur haec omnia perpendimus, et cum Ludenii sententiae de prima Maioris domus conditione comparamus, manifestum satis est, huic sententia, nominis quidem ratione habita, certe nihil repugnare videri, quod, ut mea fert opinio, in talibus, ubi non nisi coniectura aliquid assequi licet, haud minimam veritatis

ipſius ſpeciem praebet. Nam etiamſi in nomine Maioris domus non diſtincte et expreſſe Fiſci notio contineatur, in eo tamen quodammodo latere videtur, ſiquidem verbum domus ad id referatur, quod magnae illi familiae, cui praefectus fuerit Maior domus, proprium et quaſi commune erat, non ad cives ipſos, — ſed ad id, quod iis civitatem demum dederit, vel quo cives effecti fuerint.

§. 5.

Haec quidem de nominibus. Nunc quid in fontibus de ipſa Maioris domus conditione inveniamus, quasque inde facere liceat concluſiones, necesse erit enucleare. Atque cum illud certum fere ſit, Maiorem domus quendam regem inter et leudes obtinuiſſe locum, primum videre opportunum erit, utrum et quae Maiori domus fuerit cum rege neceſſitudo, deinde quae cum leudibus. Nam quod ad primum quidem attinet, utrum fuerit quaedam regem inter et Maiorem domus neceſſitudo, hoc ſane nemo eſt, vel mediocriter tantum in illius aetatis hiftoriae fontibus verſatus, qui negare velit, vel ſi voluerit, poſſit. Nam ipſa prima, quae teſtantur Maiorem domus certe fuiſſe, veſtigia, quavis ad veram et primam huius ministerialis conditionem melius cognoscendam fere nihil faciant, illius tamen neceſſitudinis quaedam praebere videntur teſtimonia. Bادهيſilus enim rege iubente Epifcopus ordinatur¹⁾; Waddo Maior domus regis filiam in Hispaniam matrimonii cauſa profecturam comitatur²⁾; Florentianus Maior domus a rege ad deſcriptiones faciendas emittitur³⁾, quae omnia, etiamſi non teſtentur, Maiorem domus ex regis ſolius iuſſu et arbitrio agere coactum fuiſſe, ſatis tamen declarant, mutuam quandam regem inter et Maiorem domus locum habuiſſe neceſſitudinem, ita quidem, ut hic illi quodammodo obnoxius fuiſſe videatur. Seriori paulo tempore Berthoaldus Burgundionum Maior domus a Theoderico II cum trecentis viris, quamquam urgente Brunichilde et, ut mihi videtur, ipſo quodammodo invito „per pagos et civitates ad fiſcum inquirendum dirigitur;“ et Landericus, qui eodem tempore in Auſtraſiorum regno Maioris domus munere fungebatur, Chlothario II iubente contra eundem Berthoaldum expeditionem ſuſcipere debet. Quid? quod Berthoaldus Landericum allocutus reges ipſorum „dominos“ vocat?⁴⁾ — Pari modo Warnacharium Maiorem domus Brunichildis, quae tunc quaſi princeps erat in Burgundionum regno, ſimul cum Sigiberto, regis Theoderici II filio, in Thoringiam mittit, ut gentes ultra Rhenum habitantes ad ſeditiones Chlothario

II moliendas excitaret⁵⁾. Licet igitur ita Maior domus apud regem haud ultimum obtinuisse videtur locum, neutiquam tamen eum ab initio quidem intimis regis consiliis interfuisse contendam; quod quo verius fortasse est, eo magis Ludenii, V. C., sententia confirmatur. Nam si Maior domus, Fisci praefectus, regi ita quodammodo ab ipsis Francis oppositus fuerit, ut regis terrae ex Fisco sibi vindicandae cupiditatem coerceret, naturalem quandam inter utrumque fuisse oppositionem, satis patet. Potius per saepe alii commemorantur, qui in summa regis familiaritate versantes, intimorum regis consiliorum participes fuisse videntur. Ita Asteriolus et Secundinus apud Theodbertum I, regem Austriae, praecipuum amicitiae locum tenuisse, Gregorius narrat⁶⁾; ita Aetho Guntramnus rex tantam habuit fidem, ut omnia ei arcana committere non dubitaret⁷⁾; ita Farulfus a Chlothario II omnia regalia negotia „explicare“ iubetur⁸⁾; ita eodem Chlothario regnante ad Audoeni, Referendarii, „nutum omnia palatina negotia“ gesta fuisse dicuntur⁹⁾; et hunc in modum multi alii, sive fuerint Cubicularii, sive Referendarii, sive Episcopi, passim nominantur, qui Regi multo propiores fuisse videntur, quam Maior domus. Nec Aega, postquam Dagobertus ex Austria in Neustriam se contulit, statim Maior domus effectus est, sed erat, ut aiunt scriptores, non, nisi assiduus consilio Dagoberti¹⁰⁾; quo defuncto demum, Aegani, quamvis non a leudibus ipsis electus, sed a solo rege moribundo ad regnum et palatium administrandum fuisset constitutus¹¹⁾, Maioris domus nomen tamen tribuitur¹²⁾. Pari modo St. Leodegarius non satis recte Maiorem domus vel Rectorem Palatii¹³⁾ fuisse nominatum vehementer putaverim. Nusquam enim de ipsius electione, vel de iis, quae Maior domus egerit, quidquam invenitur, sed propter eximiam pietatem et consilii praestantiam in regis Palatio versatus, ita ad res gerendas valuisse videtur, ut seriores Maioris domus honorem ei tribuere non dubitarent. — Ex quo vero, ut ad propositum revertamur, vel regum educatores, atque tutores Maiores domus eligebantur, vel etiam Maiores domus simul cum hoc munere reges infantes educandos suscipiebant, alia sine dubio Maiorem domus inter et regem eaque certior necessitudinis ratio oriebatur. Quod quidem praecipue inde a tempore Pippini I, cui simul tum Arnulfo, Episcopo Mettensi, Dagobertus I educandus et insituendus fuerat traditus, factum fuisse constat¹⁴⁾. Hinc scilicet ortas puto Pippino defuncto Grimoaldi et Ottonis de Maioris domus munere contentiones, quippe cum Otto Sigiberti, Dagoberti I filii, „baiolus“ seu educator fuisset, et hanc potissimum ob causam Ma-

ioris domus dignitatem tanquam propriam sibi vindicandam opinaretur, Grimoldus contra cum patris omnibus satis probata virtute et auctoritate munus quoque paternum velut hereditatis iure sibi reconciliare cuperet¹⁵⁾. Sed quantum contulerit haec ipsa regem inter et Maiorem domus necessitudo ad superiorum Maiorum domus infinitam potestatem, secunda nostrae commentationis parte accuratius erit demonstrandum. —

§. 6.

Crebriora contra et verborum perspicuitate nobis magis aperta relicta sunt in fontibus vestigia, quam ratione vel quo necessitudinis vinculo Maior domus cum leudibus fuerit coniunctus. Nam primum quidem ex Maiorum domus electione satis perspicuum fit, hunc ministerialem, si non plane leudum, arbitrio obnoxium, non multo tamen ceteris fuisse superiorem. Ab initio quidem Maior domus ab omnibus leudibus par ex paribus electus fuisse videtur, ut, ex Ludenii quidem sententia, commune illud et omnibus eodem quasi iure proprium bonum, fiscum, non tam ex suo ipsius arbitrio, quam ordine quodam et civitatis Francorum rationibus satis accommodata disciplina administraret. Qua electione nullum luculentius et gravius unquam inveniri posse arbitror testimonium, Maiorem domus non regis, sed populi ministerialem, non possessionibus regalibus, sed talibus rebus, quae ad omnes quodammodo pertinuerint, fuisse praefectum. Sicuti igitur in veterum Germanorum more atque institutis illud erat positum, ut omnes, quicumque seu ad ordinem et disciplinam servandam, seu ad iudicia exercenda, seu denique ad exercitus ducendos fuerint constituti, vel ipsi reges, ab omnibus simul in concionibus publicis eligerentur¹⁾, ita Franci hunc priscum et tanquam maiorum auctoritate sancitum morem servantes, eos certe ministeriales, qui ad rem publicam administrandam pertinuisse videntur, non a singulis et certis quibusdam e populo eligi patiebantur, sed uno omnium consensu, uno quasi animo eligendos putabant. Quibus ex Ministerialibus Maiorem domus fuisse, multa testantur scriptorum loca. Praeclarum quidem ex hoc genere testimonium praebet illa Chrodini et Gogonis electio²⁾. Etiam si enim hic Fredegarii locus per se admodum suspectus sit et propterea in gravissimum testimonium recte vocari nequeat, illud tamen in se habet veri et probati, ut Maiorum domus eligendorum ratio et disciplina accurate nobis et sine ullo veritatis detrimento in hoc loco servata sit. Nam undecunque haec narratio in historiam epitomatam irreperit, aut

quacunq̄ue causa per motus eam excogitarit auctor, personas quidem et res ab iis gestas ex ipſius ſibi fingere potuit ingenio, moribus tamen gentis et inſtitutis quidquam repugnans excogitare non potuit. Itaque eandem certe auctoritatem habet haec narratio, ac ſi in Marculfi formulis legeremus, Francos conveniſſe omnes, ut eligerent Maiorem domus illum. Attamen id non ſemper expreſſis verbis referunt ſcriptores. Plerumque enim dicitur: Maior domus ſubrogatur³⁾, vel electus eſt⁴⁾, vel gradus Maioris domus in alicuius manu confirmatus eſt⁵⁾, vel elegerunt quendam in Maioris domus honorem⁶⁾, vel ex hoc genere multae aliae uſurpantur formulae, quae nullis, qui Maiorem domus elegerint, nominatis, ſatis tamen plures ad Maiorem domus eligendum conveniſſe declarant. Regem vero ipſum Maioribus domus eligendis interfuſſe inde apparet, quod Warnachario defuncto Chlotharius II ad novum Maiorem domus eligendum cum leudibus convenit, quo tamen ex loco ſimul colligere poſſumus, Maioris domus electionem praefertim ex voluntate et arbitrio leudum factam fuiſſe, quippe qui tunc novum Maiorem domus in Warnacharii locum ſubſtitutum nollent⁷⁾. Haud raro tamen regis ſententia plurimum valuiſſe et quaſi primaria fuiſſe videtur, ita quidem, ut, quem eligerent leudes, rex ipſe proponeret. Neque vero ita leudibus Maioris domus eligendi libertas prorsus adimebatur, ſed regis conſilio providebatur tantum, ne temere et inconſulto talis Maior domus conſtitueretur, qui vel eo animi vigore mentisque alacritate, quae ad huiusmodi munus cum laude exſequendum opus eſſet, plane careret, ut Bertharius, vel ob nimiam quandam imperandi cupiditatem ſemel commiſſa ſibi poteſtate in aliorum perniciem abuteretur, ut Ebroinus. Quum enim leudes tam multi et ex tam diverſis ſine dubio convenirent regionibus ad Maiorem domus eligendum, et illud, quot homines, tantus ſententiarum numerus, haud raro diſſentionum et discordiarum anſam praebuerit, ſatius ſane et paene neceſſarium erat, ut vel rex, vel alius, qui pro ipſius in Francorum civitate conditione aptiſſimum quemque ad hoc munus ſuſcipiendum proponere poſſet, electioni quodammodo praeeſſet et omnium ſuffragia in eum converteret, qui, ut iam dixi, aptiſſimus eſſe videbatur. Itaque rex interdum ſolus Maiorem domus conſtituiſſe dicitur; quod tamen non ita explicandum videatur, uti Siſmondio placuit, quae electionem interdum ſoli regi a leudibus ipſis permiſſam fuiſſe opinatur. Dagobertus I e. g. ad Erchinoaldum⁸⁾, ad Grimoaldum, Pippini I filium, Sigibertus⁹⁾ Maioris domus munus detuliſſe dicuntur. At praeter regis conſilium aliorum quoque auctoritas imprimisque

Episcoporum, in eligendis Maioribus domus haud minimi fuisse videtur momenti. Ebroinus quidem „accepto consilio“¹⁰⁾, et Ebroino interfecto Waratto „accepto consilio et iussione regis“¹¹⁾ a Francis Maiores domus creantur, iis, qui consilium dederint, non nominatis. In Leudesio contra eligendo Leodegarius Episcopus eiusque frater Gerinus, praes ceteris, consilia praebuisse traduntur¹²⁾. Quid vero? quid dicam de Protadio et Flauchato, quorum ille Romanus natione, favore et artibus Brunichildis imperandi cupidae¹³⁾, hic faultrice et quasi auctore Nanthilde, regina, Maiores domus Francorum creati sunt¹⁴⁾? Quid de aliis, qui partim regi ipsi, partim Maiori domus defuncto affinitatis vinculis coniuncti, hoc honore ornati sunt¹⁵⁾? — Neque mirum est, ut genti Pippinianaeseriori tempore Maiorum domus electio ita adeo permessa fuerit, ut Pippinus Heristallensis post proelium Textriciense „quendam de suis,“ Nortbertum, Neustrasiis¹⁶⁾, et Grimoaldo filio interfecto ipsum infantem Theudoaldum¹⁷⁾ Maiores domus constituere ausus sit.

§. 7.

Praeter electionem tamen, etiam alia haud pauca nec minus gravia et perspicua illius necessitudinis exstant testimonia. Ab initio quidem vel consuetudine receptum, vel vero etiam lege sancitum fuisse videtur in Francorum regno, ut ne Maioris domus munus uno eodemque ad vitam concederetur, sed potius anno quoque praeterlapso alius leudum suffragiis crearetur Maior domus. Quod nisi ita fuisset, Badegifilus quidem Cenomannorum Episcopus ordinari non potuisset¹⁾. Ex quo vero Warnacharius Maior domus illud a Chlothario II impetraverat, „ne unquam vitae suae temporibus degradaretur“²⁾, quisque Maior domus quam diu viveret, tam diu munus semel susceptum retinere sibi vehementer cupiebat. At Ebroini effrenata licentia et saeva crudelitate perterriti leudes ita optime se suis rationibus consulere et pristinum rerum statum restaurare posse opinabantur, ut avito iure revocato a Childerico II peterent, ut suus cuique anno Maior domus, sicut antiquitus, crearetur³⁾. Neque tamen optimo successu; nam omnium Maiorum domus, qui Ebroinum secuti sunt, nemo unus mihi quidem innotuit, quin ad ipsum usque finem vitae munere suscepto functus fuerit. — Locupletissima deinde, quantopere Maior domus leudum arbitrio fuerit obnoxius, testis est caedes Protadii, quem supplicio dignum putantes omnes simul interficiunt, nec a Theodorico rege, nec ab ipsa eius faultrice, Brunichilde, ullo modo prohibiti⁴⁾: Ebroinus porro invitus a

leudibus in monasterium relegatus est⁵⁾; et quod assecuti sunt Pippini, quam arte magis effecerunt, quam assiduo et summa cum prudentia coniuncto leudum animos sibi reconciliandi studio?⁶⁾ —

Quantum vero apud exteras quoque gentes valuerit Maior domus, inde colligere possumus, quod Longobardi, qui, ex quo Guntramnus et Childebertus regnum Francorum tenuerant, aerario duodena quotannis millia solidorum tributi causa persolvere coacti erant, hunc tributum Chlothario II regnante sibi remitti petentes, ut quasi pondus quoddam atque momentum afferatur petitioni, non modo regi triginta quinque millia solidorum, sed etiam Warnachario, tunc Maiori domus, Gundelando et Chuco millenos cuique solidos privatim et occulte per legatos submittebant⁷⁾, quod haud dubie non fecerint, nisi quanta Maioris domus esset apud Francos auctoritas, probe scissent. —

§. 8.

Quodsi haec omnia, si nomina, si electionem, si denique Maioris domus cum rege et erga leudes necessitudinem, iterum iterumque perpendimus et cum Ludenii de hoc ministeriali sententia comparavimus, facile invenimus, hanc sententiam prae ceteris adhuc propositis maxime esse probandam. Nam in iis, quae hactenus enucleavimus, nihil fere est, quod huic sententiae aperte repugnare videatur. Invenimus vero etiam, hanc sententiam tum aetatis ingenio, tum gentis germanicae indoli, tum denique Francis propriae civitatis administrandae atque defendendae rationi apte convenire. Nam si primum ingenium aetatis respicimus, nonne illud huius imprimis aetatis proprie se atque libere excolendi studium huiusmodi fisci eiusque praefecti natura satis probari videatur? Quod porro ad gentis indolem pertinet, quod tandem luculentius illius, sicuti omnibus veteris Germaniae gentibus, ita Francis innati et natura quasi insiti libertatis amoris exstare possit testimonium, quam fisci praefectus, qui a Francis ex ipsis electus eo consilio regi quodammodo oppositus fuerit, ut eos a regis arbitrio vindicaret? Si denique civitatis Francorum administrandae rationem spectamus, quid fuerit magis consentaneum, quid tandem magis necessarium, quam praefectus eius boni publici, quod omnes Francos ad pacem et concordiam, virtutem et fortitudinem coniunxerit? — Et fortasse haec sententia his insuper aliquantulum confirmari videtur. Saepius nimirum Maioris domus mentio fit, cum ecclesiae vel monasteria ex fisco donationes accepisse narrantur. St. Remaclus e. g. a Sigiberto III loca quaedam ad mo-

nafteria exstruenda petit; quae postquam concessit rex, Grimoaldum Maiorem domus simul cum aliis optimatibus convocat, ut de iis, quae concesserat, ipsi consentiant. Qui cum consensissent, subiunxit auctor Vitae St. Remacli: „utrumque Monasterium Grimoaldus Maior domus illius tradidit sollertiae et industriae gubernandum: simul indicans ei, si qua essent Monachis necessaria, ea regem suppeditaturum, ubi per ipsum de iis certior esset factus“¹⁾. Simili modo Erchinoaldus Maior domus cum ceteris optimatibus a Chlodoveo II in consilium convocatur, postquam rex St. Blidegifilo fiscum regalem ad eundem concessit usum²⁾; et St. Bercharius Almarico Maiore domus aliisque auxiliantibus silvam ex fisco regis, ut monasterium ibi construatur, accepisse narratur³⁾; Waratto Maior domus ad Virginum monasterium exstruendum oppidum tradidisse dicitur⁴⁾, et ex hoc genere plura sane proferre licet testimonia. Quamvis vero haec et similia argumenti quandam speciem praebere videantur, omnia tamen non, nisi ad seriorum Maiorum domus tempora spectant, et etiam si ad priores Maiores domus pertinerent, vix certe inde concludere ausim, Maiorem domus Fisco praefectum fuisse. Neque quod Bertoaldus Maior domus „ad Fiscum inquirendum dirigitur“⁵⁾ et Protadius „Fiscum nimium stringens de rebus personarum ingeniose Fiscum voluit implere“⁶⁾, ad hanc sententiam confirmandam quidquam facere mihi videtur. Nam, nisi vehementer fallor, hic non de illo Francorum bono publico, cui Maiorem domus praefectum putat Ludenius, sed de tributis exigendis et de thesauro publico vel regali cogitandum est.

§. g.

Attamen nemo sententiam viri doctissimi, si non pro ipsa vera, verisimilissima certe habere unquam dubitaret, si in historicorum illius aetatis libris nonnulla certe, vel duo loca, vel unum singulum inveniremus locuta, quo Maior domus expressis verbis talis nominetur, qualis, Fisco praefectus, vel laudibus bona fiscalia tribuerit, vel de Fiscu administratione ullam reddiderit rationem. Nam, ut verum fatear, equidem non semel nec leviter, sed denuo et consulto pervolutis atque perlectis fontibus, nullam tamen invenire potui ex hoc genere locum, nisi forte quod Fredegarius de Aegane dicit, eius consilio post Dagoberti I obitum facultates, quae ille Fiscu ditionibus contra modum iustitiae redigi iussisset, omnibus restauratas fuisse⁷⁾, huc referendum esse cuidam videatur. Contra vero is, qui Francis bona fiscalia et beneficia concesserit,

rex ipse fuisse videtur, quod permultis locis, si non semper expressis quidem verbis, accurata tamen interpretatione adhibita, indicatur. Ab initio quidem sine ullo dubio rex ipse vel dux Francorum agrorum occupatorum quasi administrator fuit. Nonne enim comitatus ei, quem ducem secutus erat, tantam tribuerit fiduciam, ut agrum occupatum distribuendum et administrandum sua sponte ei commiserit? — Nam tum demum, alium Fisco praefectum substituere quasi coacti fuerint Franci, cum rex ipse illi fiduciae non amplius satisfecisse coeperit. At de hac re nulla plane vestigia exstant; sed potius rex seniori quoque tempore Fisci quasi summus fuisse videtur praefectus. Auctor Vitae St. Mauri v. c. de Floro quodam narrat, eum apud regem Theodobertum I summum amicitiae locum tenuisse, sed, pro aetatis ingenio, ita sanctitatis et vitae religiosae fuisse studiosum, ut relicto regis Palatio in Monasterium se recipere praeoptaverit. Quapropter rex Flori possessiones eiusdem nepoti concedendas esse censuit, quod his fere verbis exprimitur: „Dedit ei per sceptrum regale, quod manu gestabat, quaecunque Florus patruus eius ex regali possederat dono“²⁾, quo loco „regale donum“ haud dubie non, nisi ita interpretandum est, ut ea bona fiscalia significet, quae Florus propter munus quoddam susceptum vel tanquam beneficium ex Fisco possedisset. Nam si illa bona ex Flori proprietate, ut ait Marculfus, fuissent, non modo regis consensu et auctoritate plane non opus fuerit, sed etiam ad regem ne ius quidem concedendi vel retinendi unquam pertinuerit, quippe cum tanquam alod parentum, ut idem Marculfus dixit, per se ad Flori nepotem hereditatis iure devenerint. Atque Marculfus ipse „munus regium“ „alodi parentum“ ita opposuit, ut vix quisquam dubitare possit, quin prius quidem de bonis ex Fisco per ipsum regem concessis sit intelligendum, idque praecipue propterea, quod ex sequentibus verba „nec de parte Fisci nostri“ ad munus regium, contra vero verba: „nec a parentibus eorum..... possit convelli“ ad alod parentum quasi referenda esse videantur³⁾. Alia porro Marculfi formula rex ipse iubet, ut diversis ex causis bona fiscalia ad Fiscum revocentur⁴⁾; et post Nonnichii, comitis cuiusdam, obitum eiusdem facultates „diversis a rege“ fuisse concessas Gregorius Turonensis narrat, et ex hoc genere sane plura enarrari possunt ex ipsis fontibus, quae satis testentur, Fisci administrationem praecipue ad regem pertinuisse; de Maiore domus certe in huiusmodi locis nunquam ulla mentio fit, nisi forte „per Maiorem domus,“ vel „Maiori domus consentiente“, vel aliud quid ex hoc genere in talibus cogitando quasi supplendum sit. — Ex Ludenii

contra sententia Maior domus inde ab eo ipso tempore, quo Franci terram expugnare coeperint, („*vom Anfang der Eroberung an*“) Praefectus Fisco et quasi intercessor regem inter et populum Francorum fuisse videtur, ita quidem, ut tanquam tribunus plebis iura totius populi tueretur et ex Fisco suum cuique Francorum beneficium vindicaret. Sin vero Fiscus totum illud bonum commune, quodcunque coniunctis quidem viribus expugnassent Franci, significarit, de quo sicuti omnes, ita quoque rex ipse suam acceperit partem, sive regale, sive beneficium fuerit nominata, fieri non potuisset, quin Maior domus inde ab ipsis fere regni Francorum primordiis summam et primariam quodammodo obtinuerit potestatem. Nam Francorum civitas non modo in beneficiis tanquam fundamento posita fuisse, verum etiam gens Francorum inde demum omnino iura et quasi auctoritatem civitatis inter ceteras gentes obtinuisse et certam sensim sensimque sibi comparasse videtur formam, ex quo occupata iam finitimarum regionum quadam parte aliis gentibus sese opponere quasi coacta erat. (Ne quid obscurius dixisse videar, quae non, nisi verborum ambagibus latine exprimere equidem calleo, germanice apponere liceat: *durch die gemachten Eroberungen traten die Franken überhaupt erst in ein staatsrechtliches Verhältniß zu andern Völkern und Staaten, mußten sich diesem gemäß als Staat ausbilden, und bekamen so eine politische, und vermöge dieser eine geschichtliche Wichtigkeit.*) Si igitur Maior domus inde ab initio, quum primum Franci regionis suae fines propagavissent, terrae occupatae praefectus constitutus fuerit, quae tandem regi ipsi, quo duce expugnata fuerat terra, remanserit potestas, quae tandem auctoritas? Nonne rex ipse, quippe Fisci particeps, Praefecti Fisco arbitrio quodammodo obnoxius fuisse videatur? Tota eius potestas ad nihil fere spectaverit, nisi ad res bellicas, ad exercitum ducendum et res externas; contra vero id, quod Francorum vis et robur, gloriae ipsorum quasi principium erat, semel occupata terra, alii, Maiori domus, commissum fuerit. Rebus sic se habentibus, Maior domus, etiamsi non ita turbulenta fuerint tempora, tamen non potuisset non ad summum pervenire principatum, quippe cum ab ipso initio haud minimam regalis potestatis obtinuerit partem. Quamvis igitur Ludenii sententia suapte quidem vi ita mihi placuit et porro placebit, ut eam prorsus et ab omnibus probatam velim, nonnulla tamen sunt, quae merito contra eam moneri possint, quod ex iis, quae hactenus disputavimus, satis erit perspicuum. Attamen plane eam reiicere nec ego ausim, nec alium posse putaverim, idque propterea, quod, etsi scriptorum

illius aetatis testimoniis non satis confirmata atque comprobata videatur esse, nemo tamen negabit, hanc de prima Maioris domus conditione sententiam Francorum civitatis rationibus et ingenio non aperte adversari et propterea magnam veritatis speciem prae se ferre. —

§. 10.

Cum vero illud arrogantiae quaedam praecipue iuvenili ingenio minime accommodatam indicare videatur audaciam, post virorum doctissimorum de rebus haud levissimis summa cum sagacitate expositas sententias, nova quaedam de iisdem rebus praeponere conari, equidem, si verum velim fateri, non nisi animo quodammodo reluctantante, quae de prima Maioris domus Francorum conditione sentiam, exponere aggredior. Atque sententiam meam proferre ne ausim quidem, nisi iteratis de huius Francorum ministerialis origine investigationibus talem mihi sensim sensimque comparaverim sententiam, qualem oportunitate semel oblata iam propterea non celandam putaverim, quod novi quid et, quantum equidem scio, nondum a viris doctis propositi continere videatur. Neutiquam tamen praestantius quid vel ipsum verum vidisse opinor, sed potius, quae sentiam, doctorum virorum iudicio, ut par est, subiicienda putavi. At, ne quid dissimulem, scriptorum testimoniis nec meam ego satis confirmare atque tueri possum sententiam, sed mihi quoque in coniectura tantum acquiescendum erit.

Francos igitur ab initio quidem nihil, nisi comitatum fuisse, quales apud veteres Germaniae gentes exstitisse Tacitus narrat (Germ. c. 13.), nec eum, quem regem vocant scriptores, alium, quam summi comitatus ducis obtinuisse locum atque honorem, nullus, puto, est, quin concedat. Hic comitatus vero iteratis saepius incursionibus maximam fere Galliae partem propriam sibi vindicabat, et ita, cum antea non, nisi depraedandi et depopulandi causa finitimas pervagatus esset regiones, nunc contra in firmam, certis legibus et institutis munitam civitatem sensim sensimque commutabatur. Cum vero Franci ex quo multum sibi comparaverant agrum, sese invicem beneficiis velut sacramento obstrinxissent, ut in posterum quoque comitatum sequerentur, (§. 2.) antiquum Germanorum morem retinentes quotannis calendis Martiis conveniebant, et eundem ducem ad novas expeditiones instaurandas sequebantur. Quae quidem conciones recepto usu loquendi campi Martii nominabantur. Quo vehementius autem erat ea, quae occupaverant, retinendi desiderium maiorque defendendi necessitas, quo magis victoriarum copia nova expugnandi

cupiditatem excitabat et acriores cuique quodammodo admovebat stimulos, eo frequentiores sane et lubentiores quoque Franci ad illas conciones conveniebant, et nunc non, ut antiquitus, pro ara tantum et penatibus, ut ita ditam, pugnabant, sed lucri causa aliarum gentium terras invadebant et expugnare conabantur. Quapropter sicuti Francorum quisque sedem suam, ita dux vel rex civitatem quotannis idque ad longius temporis spatium relinquere coacti erant. Quod si quis concesserit, et concedendum sane est, oritur necessario quaestio, quis absente quidem duce vel rege aerarium publicum administrarit, quis regis loco ius dixerit, quis ordinem et disciplinam servarit, quis, ut verbo dicam, civitatem administrarit. Talem quendam non modo cogitari posse, sed etiam prorsus necessarium fuisse, nemo certe est, qui in controversiam unquam vocare queat. Rerum enim natura docet, necessitas iubet huiusmodi regis quasi vicarium substituere. Hac sane necessitate coacti in ipsis fere regni primordiis Romani Praefectum urbi absentibus regibus et deinde magistratibus constituendum putabant.¹⁾ Itaque non nimis audaciae progredi mihi videar, si Maiorem domus ab initio eum fuisse putaverim, qui absente cum comitatu rege civitatem Francorum administrarit, ita quidem, ut omnia, quae ad regem, quippe civitatis praefectum, non comitatus ducem, pertinuerint, ipso absente Maiori domus commissa fuisse videantur. Sicuti vero huiusmodi regis quasi vicario Francis opus fuisse quisque concedet, ita quoque nemo huius rei satis peritus negabit, nullum apud scriptores ex hoc genere nominari Ministerialem. Si autem aliquid veri in nostra quidem sententia insit, Maior domus ab initio plane nullam cum exercitu et rebus bellicis Francorum habebat rem; quapropter nec Menzelii, V. C., de prima huius Ministerialis conditione sententiam plane comprobaverim, quippe qui Maiorem domus primis regni Francorum temporibus proximum post regem exercitui praefectum putaverit.²⁾ Sed, ut equidem sentio, eo potius consilio Maiorem domus constituendum censebant Franci, ut ordo et disciplina rege et comitatu absentibus servaretur. —

§. 11.

Argumenta tamen eorum, quae modo proposui, si quis desideraverit, omnia singulatim iterum enucleare non opus erit, quippe cum, quae iam supra latius exposui, quomodo huic nostrae sententiae convenient, paucis demonstrare sufficiet. Et primum quidem si nomina huius Ministerialis respicimus (§. 3. et §. 4.), nullum unum puto proferri posse, quod huic sententiae repugnare videatur. Quin etiam haud pauca, si omnino ex serioribus huius

ministerialis nominibus argumenta quaedam petere liceat, praecipue et maxime hanc de Maiore domus sententiam tueri videntur. Nam, ut caetera taceamus, Subreguli quidem nomen talem indicasse putaverim, qui regi absentis quasi substitutus fuerit, non tanta tamen praeditus potestate, quanta ad regem ipsum pertinuerit; et quod nomen in Hugonis Flaviani Chron. Virduensi, ut ex Pertzii libello percepi, invenitur, „custos et tutor regni“ quantopere in meam verti possit sententiam, exponere ne opus quidem erit. Quod praeterea ad ipsum Maioris domus nomen pertinet, hoc quidem non nimis urgendum esse puto; fieri enim potuit, ut casus quaedam temeritas vel res per se satis levis et nobis ignota regis vicario hunc ipsum Maioris domus vindicaret nomen. — Necessitudinis deinde, quae regem inter et Maiorem domus locum habuerit, ratione habita, (§. 5.) satis perspicuum est, Maiorem domus, regis quippe vicarium, regi quodammodo subditum et ex eius iussu agere interdum adeo coactum fuisse, quod de prioribus quidem Maioribus domus, de Badegifilo, Waddone, Florentiano, Berthoaldo et Landericis sine ullo dubio ex ipsis fontibus satis probari potest. Nam si nostram de Maiori domus sententiam stabilitam volumus, statuamus necesse est, Maiorem domus etiam rege et comitatu non peregrinante, locum tamen et munus simul cum nomine ita quodammodo retinuisse, ut quam diu rex domi moraretur, tam diu rege iubente aliis, quae tum ad familiam regiam moderandam, tum ad regnum administrandum spectaverint, negotiis praefectus et ita regis ipsius quasi adiutor et adminiculum fuerit. Quamquam ab initio rex perraro tantum, et fortasse non, nisi hiemali tempestate impeditus domi recubasse videtur. Quum primum vero rex cum comitatu ad bella gerenda discessit, Maior domus eius vices protinus suscepit. Ita enim omnia, quae de Maioribus domus interdum fere repugnantia inter se invenimus, sine ulla difficultate explicari posse videntur. — Nec difficilius est explicatu, quomodo Maioris domus cum leudibus necessitudo (§. 6. et 7.) conveniat huic sententiae. Ne vero Protadii caedem aliaque, de quibus supra expositum est, huius necessitudinis hic repetamus testimonia, de Maioris domus electione tantum, quatenus nostrae sententiae sit accommodata, pauca dicam. Omnes leudes igitur Maiorem domus eligere solebant, quem Vicarium regis absentis fuisse puto; nam ex mea sententia Maior domus non minus gentis et civitatis ministerialis erat, quam si eum Fisco praefectum fuisse putarem, quippe cum absente ipso rege non modo regis familiam moderari, sed etiam singulorum Francorum villas et possessiones praesidio suo et

cura tueri quasi atque conservare deberet. Conveniebant igitur Franci quottannis campis Martiis, et novae expeditionis consilio initio, tum ab eo, qui anno praeterlapso Maioris domus munere fuerat praeditus, provinciae administratae rationem reposcebant, tum alium ex sibi omnes ipsi ad hoc munus in proximum annum suscipiendum non sine ulla regis (§. 6.) aliorumve auctoritate et consilio eligebant. Nec huic sententiae Eginhardi dictum ullo modo repugnat, „hunc honorem non aliis a populo dari consuetudine fuisse receptum, quam iis, qui et claritate generis et opum amplitudine ceteris eminerint.“ Claritate generis enim regis vicario opus erat auctoritatis causa, opum amplitudine, potestatis. Atque quamvis nec meam satis idoneis scriptorum testimoniis confirmare possum sententiam, sunt tamen in ipsis fontibus nonnulla, quae si non ad eam plane comprobendam praecipue valere videantur, tamen ex hac ipsa sententia non minus explicari possunt, quam ex iis, de quibus supra disputavi. Ex hoc genere igitur videtur esse ille Fredegarii locus, quo leudes defuncto Warnachario simul cum Chlothario II rege convenisse quidem, ut novum Maiorem domus eligerent, sed eum eligere noluisse narrantur, „Regis gratiam obnixe petentes cum Rege transagere.“¹⁾ Quem quidem locum ita explicatum voluerim: Leudes Chlotharii II temporibus Maiorem domus, qui rege absente regnum administraret, denuo eligere propterea plane non necessarium duxisse, quod rex nunc non, ut antea, ipse cum leudibus expeditiones suscipiebat, sed complures ab eo duces constituebantur, qui exercitui praecessent. Nam Vicario non opus erat, rege scilicet ipso non absente. Quapropter, puto, leudes cum Rege ipso „transagere“ volebant, i. e. civitatem ab ipso solo rege administrari praeoptabant. Sin vero Ludenii sententiam huic loco accommodare velimus, haud ita facile videatur esse explicatu, cur leudes, qui Maiorem domus Fisco praefecerint, ut ipsis Ludenii verbis utar, „um zu verhüten, dass der König die Lehen an sich zöge oder verschleuderte,“ nunc eiusmodi praefectum ipsi plane superfluum putaverint; immo, a rege, qui hunc Ministerialem denuo electum voluerit, obnixe petentes, ne iterum constitueretur, cum ipso transagere i. e. ex illa quidem sententia, ipsum Fisco praefectum habere maluerint, quam Maiorem domus. Quod propterea non statuerim, quod huiusmodi rerum permutatio Francorum civitatis rationibus non consentanea praecipue tempore Chlotharii II, qui turbulentissimis civitatis tempestatibus modo sedatis regnum suscepit, vix cogitari potest. Quantum vero Sismondii et vulgari de Maiore domus sententiae

locus ille repugnet, cuique per se patet. Praeterea in duabus Marculfi formulis Maior domus ita nominatur, ut regis vices quodammodo suscepisse videatur. Quarum quidem altera, „Charta de Mundeburde Regis et principis“ inscripta, rex aliquem ex clericis superioribus seu Episcopum, seu Abbatem, qui ipsius tutelam „propter malorum hominum inlicitas infestationes“ petiverat, tutelae et praesidio Maioris domus, quasi ipsius Vicario, committit; ²⁾ — in alterius vero, quae inscribitur: „Relatio Pagenfium ad Regem directa,“ introductione Maior domus Regi velut aequiparatur. ³⁾ In alio Vit. St. Praeiectione loco „regali permisso“ apponitur „Maiorinatus“, i. e. Maioris domus auctoritas, ita, ut idem valuisse videatur. ⁴⁾ Sed haec et similia non tam argumenti cuiusdam auctoritatem, quam speciem tantum mihimet ipsi praebere videntur, idque praecipue propterea, quod ad seriore tantum aetatem pertinent, neque ad primam Maioris domus conditionem cognoscendam multum valere possunt. Seriore vero Maiorum domus conditionem, potestatem et exitum si respiciamus, nullam puto magis confirmari et comprobari posse sententiam, quam nostram. Postquam enim totum regnum Francorum in tres divisa fuerat partes, Austrasiam, Neustriam et Burgundiam quot reges, totidem fere semper inveniuntur Maiores domus, ita, ut suum quisque rex haberet Vicarium. Quoties vero unus rex totum regnum regendum suscepit, tres tamen Maiores domus eo consilio retinuisse videntur Franci, ut si non regem, regis certe suum quaeque provincia haberet vicarium. Ita Chlothario II in Neustria regnante Austrasias Rado, Warnacharius Burgundionibus Maiores domus constituuntur. ⁵⁾ — Neque difficile est explicatu, quomodo seriori tempore regis Vicarius ad tantam pervenire potuerit potestatem. Cui, semel exercitui quoque praefecto, omnia ad regiam ipsam perveniendi potestatem adiumenta atque praesidia simul erant concessa. Et quis tempore illorum Merovingorum, quos recentiores Franci haud inepte „les fait-néants“ nominarunt, in Francorum regno omni corporis vi animique vigore plane carentis regis locum melius occupare potuerit, quam is, qui iam ab ipsis civitatis inde primordiis regis absentis vices suscepit? — Sed hanc meam sententiam, si quae est, non, nisi de prioribus Maioribus domus, quos fortasse ne nomine quidem cognoscimus, intelligendam esse, commemorare vix opus est. In civitate enim recens condita fieri non potuit, quin sensim sensimque, sicuti totius administrationis forma et ratio, ita ministerialis quoque, quem constituere rerum necessitas iussisse videtur, prorsus commutaretur conditio.

Restat nunc quaestio, cur Maior domus non prius a scriptoribus nominetur, et quando primum in Francorum regno constitutus fuisse videatur. Quod dum quaerimus primum est, in quo offendamus, quod in Lege Salica Maioris domus cum omnino non, tum praecipue in eis titulis, quibus de Compositione Ministerialium et puerorum regium agitur,¹⁾ nusquam ulla mentio fit, nisi forte Antrustionum ordini cuidam adscriptus fuisse videatur, quorum secundum Marculfi quandam formulam et ex ipsius legis Salicae conditione sexcentis quisque solidis componebatur,²⁾ quod tamen equidem non contenderim. Licet vero aliquis haud inepte hoc Legis Salicae de Maiore domus silentium ex ipsius huius Legis natura atque ingenio explicare possit, quippe quum magis ius privatum Francorum, quam publicum contineat: tamen contendere non dubitarim, Maiorem domus tum, cum lex Salica condebatur, nondum fuisse constitutum, immo fortasse ne tum quidem, cum Chlodoveo I regnante, Leges Francorum emendatae et auctae fuisse feruntur.³⁾ Cur enim in Ripuariorum, cur fortasse quoque in Burgundionum legibus Maiores domus commemorantur? Propterea sine dubio, quia serius conditae vel potius collocatae fuisse videntur.⁴⁾ Neque vero ab aliis scriptoribus, illis quidem, quos fide satis dignos habuerim, Maior domus prius nominatur, quam sub Chlodovei nepotibus, Guntramno, Chilperico et Childeberto. Cuius quidem silentii tres potissimum cogitari possunt causae; primum Maiorem domus re vera non prius existisse in Francorum regno, quam nominatus fuerit; deinde hunc ministerialem iam prius quidem fuisse constitutum, sed Maioris domus nomine serius demum appellatum; denique scriptoribus prius nullam Maioris domus seu pro ipsius conditione, seu pro cuiusque scriptoris consilio, nominandi oblatam fuisse occasionem. Quod igitur ad primum quidem attinet, Maiorem domus Guntramno demum eiusque fratribus regnantibus fuisse constitutum, hoc cum per se, tum propterea maxime a veritate abhorrere videtur, quod scriptores fere semper ita de Maioribus domus loquuntur, ut appareat, hunc ministerialem iam dudum et antiquitus in Francorum civitate locum habuisse. Nam si Maioris domus munus recens fuerit institutum, dubium non est, quin Gregorius et alii de tempore, quo, vel de causa, cur, vel de via et ratione, qua fuerit institutum, mentionem quandam fecerint. Contra vero hoc ipsum scriptorum silentium et deinde illud Maiorem domus non, nisi nomine com-

memorare, testimonium praebere videtur gravissimum de huius ministerialis antiquitate, quippe cuius origo et conditio omnibus ita fuerint notae, ut scriptores, de posteritate parum solliciti, de his quidquam afferre ne operae pretium quidem duxerint. Alterum vero, Maioris domus nomen serius demum huic ministeriali, sive consilio sive etiam fortuito fuisse tributum, etsi cogitari quidem possit, nullis tamen comprobari potest argumentis atque testimoniis. Nam si non Maiorem domus, prius aliis sine dubio hunc Ministerialem nominibus opus erat appellare. At talia non inveniuntur; ne vestigium quidem huiusmodi nominis vel muneris usquam exstat; quamquam Pertzius Florum, cui nusquam unquam Maioris domus vel simile nomen tribuitur, quique sub Theodoberto I vixisse fertur, fortasse formulis: „qui omnia Palatina disponit moderamina“ et „cum in omni regno Theodeberti regis summam obtineret potestatem,“ quae de senioribus Maioribus domus passim usurpantur et hic quoque non coetanei, ut Du Chesnius hos scriptores nominavit, sed potius senioris videntur esse auctoris, his igitur formulis permotus, Florum Maioribus domus adscribere non dubitavit.⁵⁾ Nec Sismondii sententia, (hist. des Français) Patricium in Burgundionum quidem regno eundem fuisse, ac qui postea Maior domus fuerit, in eam nos inducere potest opinionem, ut credamus, Maiori domus prius Patricii nomen fuisse proprium. Quapropter, puto, nulla, nisi quam tertio loco supra attuli, nobis illius restat silentii causa, scriptoribus nullam Maioris domus prius nominandi oblatam fuisse opportunitatem. Nemo sane negabit, mirum esse, ut omnium hic ministerialis tam sero demum a scriptoribus nominetur. Attamen si primam Maioris domus conditionem respexerimus, nemo amplius mirabitur, cur prius non fuerit nominatus. Nam sive Ludenii, sive, quam nos proposuimus, sententia verior habeatur, ex utraque talis sane erat priorum Maiorum domus conditio, qualis aptam scriptoribus imprimisque Annalistis illis atque Chronographis praebere non potuit hos ministeriales nominandi occasionem. Sicuti enim Praefectus Fisco in res gerendas haud multum valere potuit,⁶⁾ ita historicis de Regis vicario, nihil fere referendum fuisse videtur, qui regis ipsius et gentis facta et gesta litteris mandanda sibi proposuissent. Quanto magis vero Maior domus prima conditione relicta, in rempublicam et res gerendas valuit, et propterea in Francorum historiam magis magisque implicatur, tanto frequentius necessario a scriptoribus nominatur. — Quodsi ita veram, cur non prius Maior domus nominatus fuerit, invenisse putamus causam, reliquum est, ut de tempore,

quo primus Maior domus electus fuisse videatur, coniecturam quandam faciamus. Nam de hac re certi quid explorare velle non, nisi infelicis potest esse operae; neque quisquam ex iis, qui omnino de Maiore domus scripserunt, hoc certius et accuratius definire ausus est. Mascovius tamen Maioris domus originem inde ab ultima antiquitate duxisse videtur, quippe cum ex avitis Germanorum moribus eum ortum fuisse contenderit,⁷⁾ quod quidem propterea iam falsum est, quod Mascovius hanc sententiam notissimo illo legis Salicae loco tuendam putavit, et ita Maiorem cum Maiore domus perperam confudit. (Lex. Sal. tit. 11, 6.) Contra vero doctissimus Ludenius huius ministerialis originem inde ab eo tempore duxit, quo Franci terram externam occupare inceperint. Quae quidem sententia, etsi vera sint, quae de Maioris domus prima conditione proposuit Ludenius, incerta tamen atque ambigua videatur esse. Nam quo tempore Franci Galliam aliasque finitimas terras occupare inceperint, hoc sane difficillimum est diiudicatu. Num iam ante ipsa Aureliani et Probi imperatorum tempora? quorum prior Francos, per totum Galliam vagantes, devicisse et per triumphum ante currum suum duxisse dicitur,⁸⁾ alterius virtutis testes Franci victi provocantur?⁹⁾ Iam Postumio enim contra Gallienum auxilium Franci tulisse Trebellius Pollio memoriae tradidit.¹⁰⁾ Num tempore Clogionis regis Francorum, vel vero etiam Pharamundi, quo regnante Franci legem habere coepisse dicuntur? — Num Childerico, num Chlodoveo demum regnantibus? — Equidem ita de Maioris domus origine sentio. Sicuti Francis propriam civitatis administrandae rationem ex ipsa comitatus natura necessario quasi enatam fuisse, inter omnes constat, ita Maior domus, nisi huiusmodi ministerialis eligendi necessitate intellecta, constitui omnino non poterat. Prima enim Francorum civitas non ad artem quandam et certas rationes (*gewisse Grundprincipien*) videtur esse revocanda, sed sola necessitas, ut ita dicam, libertatem vinculis quodammodo constrinxit, legibus temperavit. Si igitur Maiorem domus Praefectum Fisco putamus, non ab ipsis inde civitatis Francorum primordiis, nec simul cum prima expugnatione eligi potuit, sed tum demum, cum Franci Fisci administrationem soli regi non amplius committi posse arbitrati fuerint. Regis contra absentis Vicarii necessitatem Franci prius intelligere non potuerunt, quam cum ipsi experientia satis edocti perspexerint, tali opus esse ministeriale, qui ipsis absentibus semel institutam disciplinam auctoritate sua atque praesidio custodiret atque conservaret. His igitur ita consideratis, haud scio, an opinari liceat, primum Maiorem

domus si non Chlodoveo ipso regnante, haud multo prius tamen a Francis fuisse electum, idque propterea praecipue, quod illo ipso tempore tum fines regni magis magisque propagabantur, tum semel condita civitatis forma excolebatur magis atque confirmabatur. Neque tamen contenderim, quod Pertzius credidisse videtur, Wiomadum, qui in Childerici I magis fabulosa, quam vera, ut mihi videtur, implicatus fuisse narratur historia, Maioris domus Francorum munere ornatum fuisse. Pertzius sine dubio solam historiae epitomatae auctoritatem, quae Wiomado „Subreguli“ nomen tribuit, secutus,¹¹⁾ ita statuendum putavit; nec negari potest seriori quidem tempore Maiores domus interdum Subregulos fuisse appellatos¹²⁾. Attamen praeterquam quod alii scriptores, quorum fides multo magis probata esse videatur, hunc Wiomadum non, nisi „hominem Childerico charum“ aut eius „amicum et consiliarium“¹³⁾ nominarunt, repugnat insuper cum tota Waddonis conditio, tum necessitudinis maxime Wiomadum inter et Childericum ratio iis, quae de prima Maioris domus conditione ex ipsis historiae fontibus coniciere liceat. Et si Wiomadum Childerico regnante Maiorem domus putaverim, Faronem, qui Ragnacharii, regis apud Camaracum, consiliarius nominatur¹⁴⁾, pari modo Maioris domus honore ornare vere non dubitarem. Quapropter, si omnino certius quid de Wiomadi conditione statuere liceat, fortasse Chiffletii praefenda est sententia, qui Wiomadum „Childerici referendarium et custodem annuli regii“ fuisse putavit¹⁵⁾.

Conclusio.

Haec igitur habui, quae nunc de Maioris domus origine, prima conditione, et iis, quae proposuerunt docti de hoc ministeriali, sentirem. Sed, ut verum fatear, in his omnibus, quae ita differui, permulta non satis gravibus argumentis comprobata facile reſicere liceat. Fieri enim non potest, quin in disquisitione, quae in mera fere coniectura posita est, et in qua ingenii magis quadam felicitate, quam sagacitate et investigandi assiduitate plurimum efficitur, alius aliam sibi fingat sententiam. At, nisi quid lateat aliquo loco, quod lumen afferre possit, nemini, ne felicissimo quidem continget ingenio, primam et veram Maioris domus conditionem accuratius definire posse. Et propterea quemcunque, qui aequum de nostra commentatione ferre velit iudicium, vehementer rogaverim, ut in animum sibi revocet illud dictum Thucydidis: χαλεπὸν τὸ μετρίως εἰπεῖν, ἐν ᾧ μάλιστα καὶ ἡ δόκησις τῆς ἀληθείας βεβαιούται. —

PARS II.

Quomodo quibusque artibus Maior domus eo pervenit, ut saeculo octavo ipso regno potiri potuerit?

Introitus.

Peracta igitur una commentationis nostrae parte, et, si non ad exitum quidem adducta, „quaenam fuerit in Francorum regno Maioris domus prima conditio“, ita tamen absoluta quaestione, ut ad illam *δόκῃσιν τῆς ἀληθείας* quam fieri potuit proxime mihi videar accessisse, haec altera pars, quae priusquam apte pertractari posset, de prioris argumento certi aliquid statuendum putavi, nulla fortasse difficultate impedita et per se satis perspicua esse videatur. Quo certius enim atque accuratius in priori parte cum omnino Maioris domus conditionem, tum praecipue ipsius cum rege necessitudinem explorare nobis atque definire pro rei impedimentis licuerit, eo facilius nunc et cum minori erroris periculo, quae quantaque huic ministeriali in regalem sedem ipsam perveniendi oblata fuerit occasio, perspicere atque enucleare possumus. Ac profecto veram rerum naturam atque rationem libere atque sine praeiudicata opinione consideranti in Merovingorum interitu per se minime novi quidquam et insoliti evenisse, satis persuasum erit. Videmus enim illud inde ab ultima temporum memoria saepius repetitum, ut, quoties ii, penes quos summum gentis cuiusdam imperium erat, ea, quae regem vel imperatorem non decet modo, sed cuique principi opus est, virtute atque animi praestantia carerent, alii et pro ipsorum conditione principi proximi et ingenio, virtute atque prudentia ceteris praestantes, partim vi et armis, partim dolo et artibus, inclinatum iam ad labem principem opprimerent et summam sibi ipsis vindicarent potestatem. At vero si quis accuratius Merovingorum interitum voluerit enucleare et causas,

quibus fuerit effectus, investigare, inveniet, difficultates haud paucas obesse, quin quaestioni satisfacere possit. Saepissime enim pro historicorum ieiunitate veras rerum causas atque momenta cognoscere non licet, et quamvis in Merovingorum interitu permultum et fortasse plurimum non tam arti cuidam atque certo consilio Maiorum domus, quam temporum rationi atque vicissitudini videatur esse tribuendum, ita tamen ambigua, incerta atque obscura haud raro a scriptoribus narrantur, ut quatenus et quantum haec ipsa temporum ratio ad Merovingorum labem atque ruinam valuerit, perdifficile sit explicatu. Quid? quod permulta non, nisi magna cautione adhibita ad rem nostram illustrandam possunt usurpari? Multa enim scriptorum vel inscitia vel partium studio, multa posteritatis stultitia sive consulto, sive temere, multa etiam temporis iniuria et mera casus temeritate corrupta atque depravata sunt. Itaque inde difficultates iam satis graves oriuntur, ut mihi videtur. Deinde vero non omittendum est, ut Merovingorum interitus, quamquam per se cum aliorum principum labe potest comparari, proprietate tamen quadam et diversa ratione a similibus sit distinguendus. Sunt vero in Merovingorum interitu tria potissimum, quae propria esse putaverim. Propria nimirum est regis Francorum Merovingorum aetate conditio; propria deinde eorum, qui infractam iam et debilitatam Merovingorum gentem ad ipsum usque interitum perduxerunt, Maiorum domus, conditio; propria denique via et ratio, qua regalem sibi potestatem Maiores domus sensim sensimque vindicarunt. Has igitur proprietates, quantum pro rei amplitudine et virium nostrorum tenuitate fieri potest, explicare, huius nostrae commentationis partis est consilium.

CAP. I.

De regis Francorum conditione Merovingorum aetate. De Merovingis, et de Chlodoveo Monarcha.

§. 1.

Quemadmodum illud praecipuum historici est officium, ut quae cuiusque rei causae fuerint efficientes, quaeque consecutiones effectae, satis perspicue exponat, ita in hac nostra commentatione causae et rationes, quibus maxime

Merovingorum exitus fuerit effectus, nunc sunt aperiendae. Quarum quidem causarum duplex est genus; unum quod in rerum et temporum natura et ratione positum est, alterum, quod ad eos spectat, qui hac ipsa temporum ratione adiuti quodammodo Merovingorum interitum partim praepararunt, partim etiam maturarunt. Ad primum igitur pertinere videtur regis Francorum Merovingorum aetate conditio, de qua pauca exponere non alienum erit a re. Qua de conditione si quaeramus, duplex iterum oritur quaestio, quaenam ab initio regis Francorum fuerit conditio; et quo modo sensim sensimque commutata sit. De primo nemo quisquam in ambiguo potest esse, qui de Francorum origine veram sibi et incorruptam finxerit sententiam. Quamvis enim veteres historiae Francorum scriptores, gentis gloriam originis et vetustate et claritate augeri opinantes, permultas easque diversas de Francorum ortu et patria confinxerint fabulas, recentiores tamen hos errores iam dudum recte refutarunt, et quae vera fuerit Francorum origo et patria copiose et erudite demonstrarunt¹). Inter omnes igitur iam satis constat, Francos a veteribus Germaniae gentibus duxisse originem, quod nisi ita fuisset, haud facile illa legum, institutorum, morum et linguae ipsius similitudo et quasi cognatio, quam Francis cum veteribus Germanis fuisse nemo negabit, explicari unquam potuerit? Itaque reges Francorum ab initio quidem sine dubio non, nisi tales erant, quales Iulius Caesar et Cornel. Tacitus veterum Germanorum principes et reges fuisse tradiderunt, comitatus duces et rectores, qui, quoties expeditionem susceptura esset gens quaedam Germanorum, vel ex comitum numero eligebantur, vel se ipsos duces fore, si qui sequi vellent, profitebantur, ita, ut suum quisque comitatus ducem non coactus sequeretur, sed quia et causam et hominem probaverat, ut ait Caesar, neque, nisi duce quodam et rectore, expeditio suscipi potest. Quam verum igitur sit, quod Tacitus de regibus Germanorum dixit, iis infinitam aut liberam potestatem non fuisse, ex ipsa comitatus natura satis apparet²); et ipsum nomen regum ducibus Germanorum Tacitus fortasse propterea tantum tribuisse videtur, quod, praeter hoc, aliud et aptius, quo summus principatus significaretur, non exstare opinaretur. Quod vero ita de veterum Germanorum ducibus statuendum est, idem haud scio, an de primis quoque Francorum regibus contendere nobis liceat. Nec sane desunt testimonia. Leibnitzius quidem testimonium ex legis Salicae praefatione depromere non dubitavit, Francos tunc, cum haec lex condita fuerit, nondum regem, sed duces tantum habuisse, quippe cum in hac praefatione nullius regis fieret

mentio³⁾. Quod si verum est, veteres Francorum duces cum Saxonum Satrapis, quos Beda vocat, haud inepte comparare iisque eandem vel similem potestatem attribuere liceat⁴⁾. Luculentissimum vero de primorum regum Francorum conditione atque potestate testimonium praebere videtur Alexandri Sulpitii inconstantia. Hic enim veteres Francorum duces sive certi et explorati quidquam nesciens, sive ne quid falsi temere proferat, metuens, nunc duces, nunc regales, nunc subregulos, nunc denique reges ipsos nominavit. Quae ex inconstantia conicij certe potest, regum Francorum potestatem ab initio, si non perexiguam, incertam tamen nec legibus quibusdam fuisse munitam. Renatus Frigeridus contra et Orosius, quamquam veterum Francorum gesta narraverunt, de eorum regibus tamen ne mentionem quidem fecerunt, quod iam Gregorium „movisse“ videtur⁵⁾. Haec igitur de antiquissimis regibus Francorum nobis relicta sunt testimonia, quae tamen vix pluris aestimata voluerim, quam Claudiani, Eumenii aliorumque illa, quae iam propterea plane omittenda putavi, quod poetarum et panegyristarum sunt. Quid vero dicam de Chlodoveo, qui multis iam gloriosis victoriis sibi suisque comparatis, nullam tamen, nisi ducis Francorum, sibi concessam esse potestatem, ipse quodammodo fateri coactus est? Nam neque ex praeda, praeter fortem sibi ab omnibus concessam, sine comitatus consensu, quidquam veluti suum considerare⁶⁾, neque, nisi omnibus, qui eum secuti erant, consentientibus Christi cultorem ausus est se profiteri⁷⁾. Haec et similia satis testantur, quantopere rex Francorum ipsis Chlodovei adhuc temporibus comitatus arbitrio fuerit obnoxius. Cum vero haec regem inter et Francos necessitudo ex comitatus natura orta esset, fieri non potuit, quin, sicuti comitatus, ita regis quoque sensim sensimque commutaretur conditio. Ex quo enim Franci in imperii Romani fines invaserant, Romanorum mores et a veterum Germanorum simplicitate tam dissimilis vivendi ratio a Francis, quamquam ipsis quodammodo invitae, recipiebantur tamen suisque necessario immiscebantur; et ita regalem quoque potestatem cum imperatoria Romanorum confudisse videntur. Nam cum Franci victores Romanorum provincias sibi subiecissent, et a subiectis, qui aliorum imperio obtemperare iam dudum consueverant, tanquam domini considerarentur, poterat non aliter fieri, quin Romani eum, quem Franci ducem secuti erant et qui comitatus videbatur esse praefectus, non modo ipsorum, sed etiam Francorum principem, regem, immo imperatorem venerarentur. Quod tametsi Francorum libertatis amori vehementer repugnasse videatur, nihilominus tamen

propter rei novitatem, ut sunt rudes animi rerum novarum curiosi atque capaces, eorum animos ab initio et per aliquot tempus captasse putaverim. Placuerunt enim novi honores, ministrorum copia, domus gloria, aliaeque res externae, quae quamvis non tam potestatis, quam dignitatis videbantur esse incrementa, maxime tamen Francorum animos, de vera scilicet regali potestate haud curantes, fefellerunt. Attamen mox in regis persona ducis Francorum et imperatoris Romanorum coniungebantur quasi dignitates. Unde duplicem et ambiguum regis enatam fuisse conditionem, nemo non intelligit. Alius enim erat Francis, alius Romanis; hi ipsorum ignaviam atque impotentiam non ignorantes, regem tanquam dominum timere coacti erant; illi contra fortitudinem suam et virtutem recte aestimantes, sua sponte tanquam ducem eundem erant secuti. Quae quidem incerta et ambigua regis conditio veteris Francorum libertatis cum nova regali potestate sensim sensimque procreavit quoddam certamen, cuius quidem vestigia non rara Merovingis regnantibus inveniuntur. Theodericus I e. g. Austrasios non, nisi oratione admonitos ad expeditionem contra Thuringos suscipiendam permovere potest⁶⁾; qui cum simul cum fratribus, Chlothario et Childeberto, in Burgundionum fines invadere nollet, ipse leudes eum relinquere et fratres sequi satius ducunt⁷⁾. Pari modo Chlotharius I invitus, leudibus tamen urgentibus, arma contra Saxones capere cogitur¹⁰⁾, et Chilperici civitates, qui „descriptiones novas et graves in omni regno suo fieri iusserat,“ multi reliquisse narrantur¹¹⁾. Contra vero nonnullos propter crimen laesae Maiestatis capitali supplicio affectos fuisse legimus; quamquam, quid de regis Maiestate Franci ipsi senserint, illius, qui post proelium ad Suessionas Chlodoveo urceum concedendum esse negavit, testis est audacia¹²⁾. Neque sacrosanctam fuisse regis personam contenderim, quod doctissimus Menzelius putavit, quippe qui propterea nullam regis compositionem in lege Salica exstare crediderit, quod regis persona ita sancta fuerit, ut is, qui eam violasset, mortis supplicio protinus fuerit multandus¹³⁾. Sed praeter alias causas, quas exponere non ad nostram rem pertinet, fortasse tempus, quo lex Salica condita fuisse videtur, huius silentii causam haud ultimam praebet¹⁴⁾. — Quantum vero certamen illud ad Merovingorum interitum contulerit, vix dici potest. Nova sane et certior regali potestati dignitas et auctoritas Carolingorum demum illa cum prudentia coniuncta afferebatur virtute. —

§. 2.

De ratione et artibus, quibus Carolingi saeculo octavo Francorum regno fuerint potiti, exposituri, nimis fortasse a proposito aberrare videmur, si de Merovingorum origine eorumque regiminis primordiis pauca praemonere conamur. Atque re vera longiores quidem et copiosiores de hac per se satis gravi et ampla re disquisitiones instituire, et commentationis consilium, et temporis brevitatis, adde etiam virium tenuitas prohibent. Est vero duplex de Merovingis quaestio, quam, ne nimis manca et imperfecta appareat dissertatiuncula, etsi breviter, attingere certe ipsum, quod dixi, commentationis consilium flagitare videtur. Primum igitur quaerendum est, quo modo et quo iure gens Merovingiana ad regnum pervenerit; deinde utrum certis quibusdam praesidiis haec Merovingorum regalis potestas fuerit munita, nec ne. Nam cum ab initio quidem, id, quod ex superioribus satis patet, reges vel potius duces Francorum libera populi electione crearentur, haud immerito quisque quaeret, quomodo factum sit, ut una Merovingorum gens regalem sibi tanquam propriam vindicaret potestatem. Exstant diversa de Merovingorum origine apud veteres commenta. Ex iis vero de primis Francorum regibus sententiis, quas Gregorius collocavit, quam ultimo loco posuit, quamquam incertam, maxime tamen propter hanc ipsam incertitudinem probaverim. Nam cum alii non modo primorum regum stirpem, sed singulorum ipsa nomina afferant, Gregorius contra multos tradidisse narrat, Francorum pagos suum quemque regem crinitum ex prima ipsorum et quasi nobiliore elegisse familia, stirpe scilicet et noninibus non allatis¹⁾. Utrum vero iam tunc ex una eademque familia omnes omnium pagorum reges, an alius ex alia fuerint creati, hoc in controversiam vocari potest. Certi aliquid statuere de hac re equidem vix ausim; et quamvis primum quidem cogitari possit, haud verisimile tamen esse videtur, ita, ut alterum praetulerim. Sin vero quaeramus, fuerintne Merovingorum maiores et proavi ex nobiliori illa familia, hoc, puto, vix negari potest. Quamvis enim ab initio Francorum reges electi, nec filius patrem hereditatis iure secutus fuisse videatur, ii tamen, qui patrem ducem fuerant secuti in novo duce eligendo ad filium, avita virtute et fortitudine bellica fortasse non minus pollentem, ipsis quodammodo invitis respiciebant. Naturale scilicet quoddam et morum simplicitatis testimonium inesse putaverim in illa filium in patris locum substituendi consuetudine²⁾. Neque apud Frances solos, sed apud alias

quoque gentes, quae reges libera electione sibi sumere solitae erant, illud tamen sensim sensimque consuetudine receptum est, et, ut ita dicam, tanquam lege, non scripta quidem, sed tempore condita sancitum, ut ex una eademque familia reges eligerentur. Ita Cherusci Arminii patrem, avum, proavum et maiores iam duces fuerunt secuti; ita Marcomanni ex Marobodui stirpe reges sibi sumpserant; ita Ostrogothis Amali³⁾, Agilolfingi Baiuvariis⁴⁾ duces praeiverant. At nihil dico de Merotheo, nihil de Clodione seu Clogione, quorum originem et cognationem si accuratius ex fontibus velim eruere, vehementer vereor, ne eorum numerum augeam, qui adhuc frustratam huic rei navarunt operam⁵⁾. Licet vero Merovingorum regnum hereditatis quodam iure iam tunc munitum esse videretur, Childerici I tamen, Merothei filii, historia satis testatur, quantam illi hereditatis iuri vim Franci ipsi tribuerint. Fatendum est sane, Childerici ad Basinum, Thuringorum regem, fugam, cum Wiomado amicitiam et cum Basina coniugium quandam commenti speciem praebere. Sed nihil obstat, quin credamus, Childericum per aliquot tempus de regno deiectum, deinde vero iterum in patriam sedem restitutum fuisse, idque non sine amicorum dolo et artibus⁶⁾. Redux vero Childericus intellexisse videtur, quid plurimum ad stabilendum et firmandum stirpis suae imperium conferre possit. Bellis enim non fortiter tantum, sed etiam feliciter gerendis et victoriis haud paucis, ut videtur, sibi comparatis⁷⁾, Francorum fiduciam atque amorem ita sibi reconciliavit, ut non solum sibi ad finem usque vitae, sed etiam posteris regnum paternum conservaret atque tueretur. Ita tamen Merovingorum regnum non tam legibus et certo instituto, quam tempore et consuetudine erat conditum. Quod, si accuratius Merovingorum historiam perlustramus, cum in multis aliis, tum in eo maxime cernitur, quod Franci semper, etsi falsam, libertatis tamen quandam speciem sibi retinere cupiebant. Nam saepius invenimus apud scriptores Francos defuncti regis filium sibi vel fratrem regem elegisse, quasi non iure hereditatis, sed electione tantum ad regnum pervenire potuerit⁸⁾. —

Si contra de praefidiis, quibus Merovingorum regnum fuerit munitum, quaeritur, haud difficile est explicatu, quid ab initio Merovingis regnum paternum muniverit. Munivit enim patrum gloria, pristina prudentia, vigor animi, fortitudo bellica et egregia quaeque virtus, quae cuique principi non modo decori, sed etiam praefidio debet esse firmissimo. Descendentibus vero deinde a patrum et maiorum virtute atque gloria Merovingis, quid aliud Francorum animos ad enervatum hoc et effeminatum genus convertere potuit,

nisi inveterata semel de Merovingorum regnandi iure opinio? Hac in opinione, ne dicam hoc in errore, versantes, „viri fortiores, qui in urbe erant Sueffonica“, a Childeberto II rege petiverunt, ut unum ex ipsius filiis sibi ducem praeponeret; 9) hac opinione quasi adiuti Alemannorum aliarumque finitimarum, quae Francis subiectae erant, gentium duces, Merovingis iam ad interitum ruentibus et Maioribus domus omnia administrantibus, Francorum imperio se subducere conabantur, nullis scilicet, nisi ex Merovingorum familia regibus sese obtemperaturos esse, affirmantes. 10) Neque tamen defuerunt, qui de iure regnandi Merovingorum dubitare coepissent, quod quo magis pristina virtus desiderabatur, eo minus mirandum est. Omissis vero hic illis seriori Merovingorum aetate haud raris regni affectationibus, unum tantum afferre mihi liceat exemplum, quod propter ipsum tempus notatu videtur esse dignissimum. Theoderico I nimirum in Austria regnante Mundericus quidam, coacto satis frequenti populo, eodem, ac Theodericum, iure se Francorum regem esse posse, contendebat 11). Quae res, quamvis non optimo gauderet eventu, satis tamen testatur, quam incerta atque dubia ea ipsa aetate Merovingorum conditio fuerit, qua nondum patrum virtus desiderabatur. Quanto magis tunc, cum de illa virtute vix ac ne vix quidem vestigium quoddam erat relictum? — Satis igitur perspicuum est, cum omnino regis Francorum, tum Merovingorum praecipue conditionem incertioreni fuisse, quam quae in longius tempus durare potuerit. Nam haec ipsa conditionis incertitudo atque ambiguitas, vereor, Merovingorum interitum iam prius adduxerit, nisi eximia illa Chlodovei virtus et regalem, et Merovingorum potestatem non modo firmarit, sed etiam auxerit atque amplificavit. 12) —

§. 3.

Magnorum cognomina si merito iis ex principibus a posteritate tribuuntur, qui non solum ea aetate, qua vivebant, ceteris excelebant, sed etiam posteritati praeclari ingenii reliquerunt vestigia, nemo fortasse maiori unquam iure Magnus praedicari potest, quam Chlodoveus, qui Childerico patre defuncto, Francorum regnum suscepit. Chlodoveo enim regnante maximam partem si non condebantur, magis magisque tamen excolebantur ea instituta et leges, in quibus plurimae ex recentioribus civitatibus tanquam fundamento atque principio sunt positae. Fuit vero etiam Chlodoveus quasi primus ex Barbarorum principibus, qui Christi cultorem palam se profitebatur, quod

quantum ob exempli claritatem illo ipso tempore, et propter Francorum regum praesidium et tutelam posthac ad divulgandam et propagandam fidem christianam imprimisque ad ecclesiae catholicae gloriam augendam contulerit, inter omnes satis constat. Atque haud scio, an origo et prima fatalis illius et seriori quidem aetate tam perniciosae Imperatorum Germanorum inter et Romanum Episcopum necessitudinis vestigia inde a Chlodoveo Magno regnante repeti queant. Gravior tamen nobis nunc est quaestio, quatenus Chlodoveo regnante Merovingorum conditio fuerit commutata. Opus enim a patre in regnum restituto praeclare inchoatum, maiori etiam cum virtute et meliori successu continuavit filius Chlodoveus. Fortitudinem scilicet Francorum et virtutem spectans, Syagrium ad Sueslionas vicit,¹⁾ multisque aliis victoriis reportatis, Thuringos si non prorsus Francorum subiecit imperio, tributarios certe fecit, ut ait auctor Gestorum Regum Francorum.²⁾ Quod quidem non minus ad gentis gloriam apud exterarum praecipue nationes propagandam, quam regis potestatem et auctoritatem inter suos stabilendam valuisse videtur. Quae potestas ut regio quoque quodam splendore augeatur, Chlodoveus non ex indigenis, sed ex Burgundionum regali familia uxorem sibi adiunxit. Hoc coniugium autem quanti propter rei novitatem per se, et propter consecutionum gravitatem deinde fuerit momenti, cuius intelligere promptissimum est. Duplex nimirum inde redundavit in Francos emolumentum. Primum enim simul cum hoc coniugio fidei christianae cognitio pervenit ad Francos; quod propterea maximi fuit momenti, quod, cum omnes fere ceterae gentes, quae Christum cognoverant, Ariana pravitate, ut vocant scriptores Aarii hereticas opiniones, fuissent imbutae, Francis contra statim ab initio ecclesiae catholicae praecpta atque decreta tradebantur.³⁾ Quamvis autem de eo disceptare certe liceat, quod vir quondam doctissimus Ch. Guil. Franz. Walchius in dissertatione singulari contendisse videtur, num ex politicis rationibus Christianam fidem susceperit Chlodoveus,⁴⁾ valde tamen probabile est, Chlodoveum semel Christianum factum, quantum ex hac conversione in gentem suam redundare possit commodum, recte intellexisse. Testis est Chlodovei erga Alaricum Gothorum regem perfidia. Alaricus nimirum, Francorum fortitudine et Chlodovei virtute perterritus, cum Chlodoveo de pace inter se conservanda foedus inierat.⁵⁾ At Chlodoveus huius foederis religionem alia graviore religione superari opinabatur. Nam cum Gothi Aarii doctrinam essent secuti, Franci contra catholica fide instituti, Chlodoveus nihil magis opportunum putabat, quam sub spe-

cie religionis, Gothos, haereticos quippe atque verae doctrinae christianae ocores, quantum fieri posset, suppressere, eorumque possessiones sibi suisque velut ecclesiae tutoribus vindicare.⁶⁾ — Deinde vero illud ex Chlodovei coniugio commodum in Francos redundavit, quod haec cum Burgundionibus coniunctio posthac Chlodovei filiis Burgundiae occupandae praeberet occasionem, de quo infra loco suo pauca dicam. Incremente autem in dies Francorum potestate, externae imprimisque finitimae multae gentes partim eorum potestatem metuentes, partim auxilium et quasi praesidium petentes,⁷⁾ cum Francis foedera inibant, eorumque imperio sua sponte, quam vi et armis coactae se subiicere malebant.⁸⁾ Retinebatur enim ita aliquod libertatis vestigium. Sed cum omnes regem Francorum tanquam dominum et imperatorem venerentur, fieri non potuit, quin quo plures Francorum imperio se subiecissent gentes, eo magis amplificaretur regis auctoritas. Quapropter de eo vix dubium potest esse, quid Anastasium Imperatorem permoverit, Chlodoveum Patricii Romani honore ornare.⁹⁾ Cum enim Anastasius Francorum potestatem, cui nihil fere opponere potuisset, magis magisque accrescere videret, quo modo tum sui ipsius, tum totius imperii rationibus consulere melius unquam potuerit, quam eo, quo simul cum principis Francorum amicitia gentis quoque animos sibi reconciliare videbatur? Atque ita Anastasius in Gallia quoque imperii quandam sibi conservasse videtur speciem.¹⁰⁾ Neque tamen defuit novo honori sua utilitas. Quemadmodum enim Chlodovei patriciatu subiectae provinciae regis Francorum imperium tanquam iure et lege sancitum fuisse opinabantur, ita Franci, novitatis illecebra quodammodo decepti, nunc maiorem, quam antea, ipsorum regi honorem tribuere non dubitabant. Et hoc modo virtute sua et prudentia Chlodoveus eam sibi comparaverat gloriam, quae nisi parricidiis inquinata fuerit, in optimi cuiusque memoria laeta semper cum recordatione versaretur. Sed nimia imperandi cupiditate incensus, omnibus ceteris gentis suae regibus non sine crudelitate oppressis, Francorum regimen sibi soli vindicavit.¹¹⁾ Quod tametsi per se excusari nequitiam possit, causae tamen et consilium, cur ita egerit Chlodoveus, satis sunt in promptu. Intelligebat enim iam tunc, quo plures gentis cuiusdam essent rectores, eo frequentiora et maiora semper exstare discordiarum incitamenta, neque gentem, nisi uno tantum rectore, ad concordiam, et, quae inde sequantur, virtutem atque fortitudinem pervenire posse.

Ita igitur Chlodoveus sibi et Merovingis Francorum condidit Monar-

chiam, quae etiam si suapte quidem vi satis firma videbatur esse, mox tamen apparuit, quantopere adminicula atque praesidia non in ipsa per se, non in via et ratione, qua erat condita, sed in ipsius quasi auctore, in Chlodovei ingenio (*Subjectivitāt*) essent posita. Monarchia enim temporum necessitate et Chlodovei virtute condita, simulatque patria virtus in Merovingis desiderabatur, stare amplius vix potuit. —

CAP. II.

De Merovingis usque ad Chlotharii II Monarchiam a. 613; et quomodo ad hoc usque tempus eorum exitium fuerit praeparatum.

§. 1.

Si quis quaerat, cur tam repente atque celeriter ad interitum corruerint Merovingi, triplicem in universum huius praematuri interitus causam statuere licet, quarum de prima in antecedentibus iam satis expositum est, de incerta, inquam, et regalis potestatis et stirpis Merovingorum conditione. Altera vero causa in iteratis illis regni divisionibus posita erat, quae Chlodoveo defuncto inter ipsius filios et deinde nepotes institutae sunt. Nam si quid est, quod ingenii aetatis illius haberi potest testimonium, nihil maiori iure huc referri posse puto, quam hae divisiones. Sicuti enim illa aetate omnia non ex certis rationibus, sed necessitate quasi urgente, non futuri, sed praesentis tantum temporis ratione habita et peragi et institui solebant, ita illae divisiones, necessitate scilicet, non consilio procreatae, nec Francorum civitatis rationibus satis accommodatae, nec cum circumspecta quadam consecutionum considerantia institutae fuisse videntur. Duplex nimirum orta est Chlodoveo ad superos discesso necessitas, cui utrique, nisi magno alteriusutrius detrimento, satisfieri non potuit. Necesse enim erat, opus a Chlodoveo praeclare inchoatum continuare et confirmare; necesse vero etiam, omnibus Chlodovei filiis regni et regalis dignitatis quandam partem tribuere. Chlodovei autem consilium primum fuerat, Francorum vires et animos Monarchia coniungere et corroborare, filios vero idem quatuor reliquit. Qui ut omnes regni paterni pari iure sic-

rent haeredes, simulatque vero Monarchia quodammodo conservaretur, ita optime res expediri posse videbatur, ut non regnum ipsum in quatuor certas divideretur partes, quibus filiorum sua cuique pars regnanda concederetur, sed unius regni regimen omnibus simul committeretur. Ita igitur regalis potestas, non regnum ipsum dividebatur. At si accuratius rem consideraverimus, facile inveniemus, inter utrumque fere nihil interesse, imprimis propterea, quod patre defuncto diversas sibi sumpserant Chlodovei filii sedes. Quare fieri non potuit, quin ultimum Chlodovei consilium, Monarchia, in ipsis quasi incunabilis statim deleteretur. Nam quamvis regnum unum permaneret, diversa tamen regum ingenia dissensiones et inimicitias non poterant non excitare, quae, quo magis in gente Francorum alii alius regis sequebantur partes, eo plus non modo ad regum potestatem atque auctoritatem diminuendam, sed civitatis quoque et gentis vires distribuendas contulisse videntur. Accedit insuper, quod in hac potestatis divisione de posteris ne cogitaverant quidem Merovingi. Ponamus enim, cuique ex filiis Chlodovei iterum quatuor vel plures natos fuisse filios, quomodo tunc dividendum erat unius regni regimen? — Nonne inde parricidia, non turpissimum quodque flagitium, non bella civilia et turbulentissimas civitatis tempestates ortas fuisse constat, quibus nihil certius, nihil velocius gentis cuiusdam interitum atque ruinam adducere potest? ¹⁾ Praecipua igitur atque longe fatalissima, puto, Merovingorum interitus causa erat perversa illa regni divisio. Tertia denique Merovingorum tam inhonesti tamque ignominiosi exitii causa posita erat in domesticis illis flagitiis atque discordiis, quibus tota Merovingorum domus, praecipue inde a Brunichildis temporibus, vehementissime flagrabat. —

§. 2.

Cum vero nos non Merovingorum historiam exponere velimus, sed de eorum interitus causis tantum agamus, de Chlodovei filiis propterea breviores possumus esse, quod ad hunc interitum non tantum contulerunt, quantum ipsorum filii et nepotes. Attamen propter illam dividendae potestatis rationem, de qua modo differui, et quam primi instituerunt, eorum regnum memoratu iam satis dignum est. ¹⁾ Nam Gregorii verba: „et aequa lance inter se dividunt“ ²⁾ non ita interpretari licere, ut cuique aequa regni pars commissa fuerit, sed ita, ut omnes simul pari modo totius regni regimen susceperint, quisque intelliget, qui tabulas geographicas inspexerit, et quam regum

sibi quisque sedem elegerit, accuratius cum totius regni Francorum ambitu comparaverit. Regnum paternum vero semel susceptum aequa fortitudine atque virtute non administrarunt tantum, sed etiam amplificaverunt filii Chlodovei. Testis est Burgundia occupata,³⁾ testis Thoringorum exitium,⁴⁾ testis sororis, Chrotildis, ab Amalarico, Gothorum rege, nimis vexatae vindicta,⁵⁾ testes Childeberti et Chlotharii in Hispaniam,⁶⁾ Theodoberti in Italiam⁷⁾ multaeque aliae expeditiones, quas referre nec nostrum admittit consilium, nec a lectore desiderabitur. Et Theodoricus in hoc adeo patrem aemulatus fuisse videtur, ut Sygivaldum, parentem suum, interficeret eiusque filium Gyvaldum Theodoberto filio suo interficere iuberet?⁸⁾ Quamvis vero filii Chlodovei patris fortitudinem atque prudentiam imitarentur, consecutiones tamen fatalis illius divisionis ipsis his filiis regnantibus haud raro iam inveniuntur. Quanta enim flagitia iam tunc regni cupiditas, quantas inimicitias et insidias excitarit, quisque intelligit, qui Theodorici Chlothario fratri paratas insidias,⁹⁾ Theodorici et Childeberti in foedere conservando inter se inconstantiam,¹⁰⁾ Childeberti et Theodeberti erga Chlotharium expeditionem,¹¹⁾ Chramni denique contra ipsum patrem, Chlotharium, inimicitias et ipsius necem crudelissimam non ignorat.¹²⁾ Et quae erat alia nefandissimae filiorum Chlodomeris a Childeberto et Chlothario patratae caedis causa, nisi perversa et inexplebilis regni cupiditas.¹³⁾ Itaque origo et principia illarum tam perniciosarum dissensionum, quae haud scio an ad Merovingorum interitum plurimum contulerint, iam inde a Chlodovei filiis merito repeti possunt. Chlotharius I enim, qui fratribus et ipsorum filiis defunctis solus Francorum regnum suscepit, non, nisi duos insuper annos vixit, quod tempus brevius erat, quam quod ad pacem et concordiam semel turbatam restaurandam atque confirmandam fortissimo ipso viro vix suffecerit. Non mirum igitur est, ut, sedatis aliquantulum civitatis tempestatibus, post Chlotharii obitum, qui quatuor filios haeredes reliquit, in nova scelera Merovingorum domus, in domestica bella denuo et vehementiori cum impetu civitas proruperit. —

§. 3.

Pervenimus nunc ad illud veteris Francorum historiae longe tristissimum tempus, cuius ipsa recordatio optimi cuiusque animum magno terrore et iusto dolore perfundit. Erat enim aetas a Chlothario I defuncto usque ad Chlotharii II Monarchiam ita vitiorum et flagitiorum cuiusque generis copia repleta,

ut vix alia magis calamitosa et corrupta inveniri possit. Nulla contra virtus, nihil magnum, nihil praeclarum, nihil pulchrum posteritatis animos huic tam depravatae aetati reconciliare potest. Orbata quasi erat omni honestatis sensu et morum probitate; et si quae exfiterit e naturalibus illis virtutibus, quae non tam fortis, quam imbecilli videntur esse ingenii testimonia, quae animi mansuetudo, temperantia, lenitas et benevolentia, fieri tamen non potuit, quin communi aetatis perversitate non modo oppressa, verum etiam in furorem et audaciam, fuerit commutata. Causas vero si inquirere velimus tantae morum perversitatis, ad divisionem illam regni fatalissimam animos iterum revocemus necesse est. Cum enim Chilpericus sibi soli paternum regnum vindicare vellet, fratres contra, non minus regni cupidi, regni vires dividere, quam unius imperio omnia committere mallent,¹⁾ restaurabantur discordiae illae atque bella civilia, quae gentem Francorum ad ipsam fere perniciem perduxerunt. Ad vereor, ne ineptus essem et opus non minus superfluum, quam difficile susciperem, si singula illius aetatis facinora deinceps enarrare vellem. Quodcumque enim flagitium commissum, quodcumque crimen tunc patratum est, et Gregorii sex ultimi historiarum libri tam multa ex hoc genere praebent, ut nullam fere paginam reperias, quin quid flagitiosi et turpis contineat. Taceo nunc fratrum inimicitias, taceo bella civilia, taceo regum in foederibus conservandis perfidiam,²⁾ quae omnia quantopere civitatem Francorum perturbarint, inde videmus, quod ipse Gregorius maiorem aetatis suae perversitatem fuisse affirmat, quam tempore „persecutoris Diocletiani.“³⁾ Novam sane et pernam discordiarum ansam praematura Chariberti mors praebuit, idque propter regni, quod fratribus reliquerat, divisionem. Ea nimirum conditione inter se dividisse dicuntur fratris regnum, ut Lutetiam Parisiorum, quae erat regni caput, nemini fratrum, nisi reliquis fratribus consentientibus, intrare permissum fuerit.⁴⁾ Quae conditio, ut erat per se nimis inepta, quantas fratrum inimicitias denuo excitarit, si latius exponere velim, idoneum orationis finem vix inveniam.

§. 4.

Sin vero domesticam et quasi privatam vitam principum Francorum respicimus, haud minora infortunia et miseriae inde Merovingis parata fuisse constat, quam e regni divisione orta esse demonstravimus. Quae quidem vita privata quo ignominiosior Merovingis, eo periculosior erat civitati. - Fatendum

sane est, nec lectori nec scribenti iniucundius quidquam praeberi posse, quam domesticorum flagitiorum descriptio. Sed consilium nostrum flagitare videtur, ut breviter demonstraretur, quantum ad Merovingorum interitum domestica illa morum pravitas contulerit. Cuius quidem fons et principium erat mulierositas illa, quae novum vitiorum incrementum, novas intulit Merovingorum genti calamitates. Quod autem Sigibertus, fratrum libidinosam insolentiam indignatus,¹⁾ novo domus suae morbo remedium adhibuit, quantopere non sanavit, sed auxerit mala domestica, satis notum est. Duxit nimirum, ut veterem domus suae gloriam, et regium Maiorum splendorem restauraret, uxorem Brunichildem, Athanagildi regis Gothorum filiam, quacum quantum domus luctum, quantam civitati pestem et perniciem intulerit, Sigibertus ipse, futurorum scilicet ignarus, vix ac ne vix quidem potuit praeferre. Sed nos quoque admiratio quaedam subeat necesse est, si Brunichildis laudes apud Gregorium²⁾ cum seriori ipsius malitia comparamus. Cuius causa primaria haec erat: Sigiberti frater Chilpericus, qui antea plures habuerat pellices, magis invidia, ut mihi videtur, — quidni enim insignis fraterni coniugii splendor invidiam quandam movere potuerit? — quam fratris exempli honestate permotus, Brunichildis sororem, Galsuintham, sibi uxorem ab Athanagildo petiit. Quae postquam ei hoc scilicet pacto fuerat concessa, ut ceteras generis obscuritate non minus, quam vitae inhonestae maculis ignobiles, quae secum habuerat, mulieres dimitteret, nihilominus tamen haud longo temporis spatio interposito ita Fredegundis desiderio, quae erat una ex istis mulierculis cuiusque omnium blanditiis maxime delectatus fuisse videtur Chilpericus, affectus esse dicitur, ut, datae promissionis religione neglecta, eam in domum suam iterum recipere non dubitaret. Quod cum Galsuintha, pacti ipsius patrem inter et Chilpericum facti non immemor, comperisset, dolore percussa in patriam simul cum divitiis, quas dotis nomine Chilperico attulerat, redire vehementer cupiebat. Domum vero iam profecturam Chilpericus, ipsius divitiarum magis, quam amoris cupidus, crudeliter interfici iussit.³⁾ Hinc illud inexplebile Brunichildem inter et Fredegundem odium; hinc fratrum interitus, hinc civitatis pestis et perniciēs. Fieri enim non potuit, quin Brunichildis sororis internecionem Fredegunde, quam paulo post coniugio sibi iunxit Chilpericus, auctore patratam fuisse opinaretur. Vindicta vero nemo magis gaudet, quam foemina.⁴⁾ Hac vindicta non modo naturales illae et semel inveteratae fratrum inimicitiae denuo excitabantur augebanturque, sed turpitudine et contumelia Merovingorum domui

importabantur. Quod enim antea vi et armis erat effectum, nunc contra dolo et artibus efficiebatur. Tunc gladius et hasta, nunc dominabantur siçae et venena⁵⁾. Haec enim sunt mulierum furibundarum arma, haec effeminatae aetatis signa. Et quid valeat semel excitata muliebris iracundiã, crudelissima Sigiberti⁶⁾ et Chilperici⁷⁾ mors satis testatur. Brunichildis autem, interfecto Sigiberto, a Chilperico in exilium missa Merovei, ipsius Chilperici filii, amore et coniugio denuo liberabatur⁸⁾, liberataque nihil magis cupiebat, quam iniurias sibi allatas quam vehementissime vindicare. Nova vero Brunichildis audacia vetus Fredegundis revocavit odium. Quod quamvis Meroveo interitum parasse videatur⁹⁾, prohibere tamen non potuit, quominus Brunichildis filii, Childeberti, et nepotum, Theodoberti et Theodorici, regnum ipsa susciperet. At non tam regnabat, quam furebat, et ab Austrasiis eiecta apud Burgundiones novum quaesivit imperandi cupiditatis domicilium, quaesitumque invenit¹⁰⁾. Nam senectute paene laborans, defunctis nepotibus, ipsius pronepotis, Sigiberti, tutelam et cum tutela regnum sibi vindicare conabatur¹¹⁾. Cum vero Brunichildis et Fredegundis non modo mutuas sibi semper pararent infidias¹²⁾, sed etiam suos utraque filios ad novas iterum iterumque excitarent inimicitias¹³⁾, nemo mirabitur, avitam Merovingorum virtutem, quae iam dudum cuiuscunque generis vitiis imprimisque mulierositate illa¹⁴⁾ satis debilitata erat, prorsus fere interiisse. Regnabant enim non Merovingi, sed mulieres, non pristina virtus et moderatio, sed cupiditas et intemperantia. Quamquam satis apparet, muliebre regimen iis e Francis, quibus grata cum recordatione Clodovei et Maiorum gloria in mente versabatur, non minus fuisse invisum¹⁵⁾, quam regum infantiam¹⁶⁾ atque impotentiam.

§. 5.

Diffidentibus igitur magis magisque in diversas partes regibus Francorum, fieri non potuit, quin illud in rebus prosperis maximum ornamentum, in adversis firmissimum praesidium, pax et concordia, in civitate Francorum plane delerentur. Discordia enim a regali sede profecta provincias, urbes, pagos vicosque et singulorum ipsas domus, cruentum quasi flagellum, pervagabatur, et si quis e leudibus Domini sui insolentiam et impotentiam aequo animo amplius perferre non posset, in alius tutelam se contulit, quae quo magis regii fratres fratribus opes et auxilium inviderent, eo lubentius cuique concedebatur¹⁾. Urbes contra urbes bella movebant²⁾, et quodcunque flagitium, quod-

cunque scelus, quo domus regia flagrabat, idem vulgus maiori etiam furore atque audacia inibatatur³⁾. Nullus erat ordo, nulla disciplina, non sacramento sua religio, et sanctissimus ipse locus ne sanctitate sua quidem satis tuebatur, quod quanto magis tunc omnis fere et praecipua christianae fidei vis atque notio in locorum sacrorum reverentia atque religione posita fuisse videtur, tanto luculentius temporis perversitatis praebet testimonium. Non defuerunt sane, qui in hac ipsa christiana religione quasi quoddam malorum praesidium, probitatis asylum, dolorum lenimen et ultimum et quasi unicum in tanto rerum discrimine solatium reperire sibi viderentur. At quis erat tunc fidei christianae status? Quam sibi tota illa aetas imprimisque imperitorum vulgus de vera religionis, quam Christus praedicaverat, virtute atque salute finxerat opinionem? Quod in libris sacris solatium eorum animi poterant invenire, qui, quanta sit horum librorum praesentia, animo ne comprehendere quidem poterant? — Quid mirum igitur, si in tanta omnino rerum perturbatione crimina, quae quieto et placato rei publicae statu optimi cuiusque animum propter ipsam pravitatem terrore et fastidio implent, omnibus communi et quasi quotidianae erant consuetudini? Veneficorum artes ne sanctissimum quidem deterruit⁴⁾; Austregildis regina in ipso mortis discrimine homicidiis se inquinare non flagitiosum putavit⁵⁾. Crudele fuit Mummoli supplicium et mors⁶⁾; acrior atque crudelior Fredegundis ultio, ad quam tum contra eos, qui ipsius filiam Rigunthem non modo divitiis et opibus privarant, sed etiam omni praesidio et auxilio destitutam perfido modo deseruerant⁷⁾, tum contra Praetextatum Episcopum, qui ipsius malitiam nimis severe perstrinxerat⁸⁾, vehementissime exarsit. Ipsi Episcopi et ceteri clerici, quibus sanctum quoddam inesse aetatis superstitio putabat, talia haud raro facinora patrabant, quae a sanctitate maxime abhorrere videntur?⁹⁾ Cum vero magis magisque reges populum, cuius ab initio duces fuerant atque rectores, a se abalienarent¹⁰⁾, et non modo discordiis illis, verum etiam novis voluptatibus¹¹⁾, quae pristinae fortitudini prorsus repugnabant, Francorum vires debilitarent moresque corrumpere, nemo mirabitur, hoc tempore Francorum fortitudinem nec excelluisse, nec ad regni fines propagandos multum contulisse. Quamvis enim Longobardi pristinae scilicet Francorum fortitudinis haud immemores¹²⁾, Childberti imperio sese subiicerent, et interdum dolo et artibus magis, quam armis vincerentur¹³⁾, satis tamen, quae sit Francorum virtus, tunc apparuit, cum Longobardi armis arma opponere auderent¹⁴⁾. Nec veterem sibi gloriam Gun-

tramni exercitus ex Hispania reportavit¹⁵). Ultima et fortasse unica Merovingis avitam gloriam, populo concordiam et robur restaurandi via et ratio, regum ad pacem et salutem fuerit coniunctio. Hanc coniunctionem spectans Guntramnus cum Childeberto nepote foedus iniit eumque, filiis orbatus, adoptavit¹⁶). Attamen serius; nam neglecta mox Guntramni amicitia, Childebertus cum Chilperico, qui eum regni sui successorem et heredem sibi elegerat, denuo contra ipsum Guntramnum arma capere non dubitat¹⁷). Defuncto tamen Chilperico, postquam Fredegundis Guntramni tutelae et praesidio regnum filiumque infantem Chlotharium commendavit¹⁸), Childericus melius et suis ipsius rationibus consultius agere non posse putabat, quam Guntramni amicitia sibi reconcilianda pacem et concordiam restaurare¹⁹). Quod ita bene successit, ut Guntramnus nepotem iterum regni heredem publice profiteretur²⁰). Perpetua exinde et firma, nisi leviter interdum turbata²¹), ad utriusque finem usque vitae Guntramnum inter et Childebertum conservata est amicitia²²). Quibus defunctis²³), novae iterum Brunichilde atque Fredegunde praecipue auctoribus excitabantur tempestates, usque tandem, Brunichilde crudelissime necata, Chlotharii II Monarchia si non pristina virtus et maiorum gloria, pax tamen atque concordia Francis per aliquot tempus restituebatur²⁴). —

§. 6.

Quae cum sic se habeant, quae fuerit tempore Chlotharii II regis Francorum conditio quaeque auctoritas, non difficile est intelligere. Franci ipsi magis grata quadam veterum ipsorum regum virtutis recordatione, quam eorum fortitudinis, qui nunc regalem sedem obtinuerant, reverentia permoti, Merovingorum regnum passim fuisse videntur. Reges contra omni et corporis vi et animi vigore libidinosis illis amoribus destituti magis ducebant, quam vivebant vitam inhonestam atque maculosam. Ipsorum impotentiam non ignorantes magis iustum Francorum odium timebant¹), quam novis praeclare et fortiter gestis gentis suae amorem et fiduciam recuperare callebant. Quis enim unquam potuit imbecillitatem illam fragilitatemque enervati huius et paene effeminati generis vereri, quis potuit extimescere? Eius scilicet generis, quod obiurgantium potius cantilenis, quam laudantium praeconiis prosequeretur celebrabaturque²). Accedit, quod gentis Francorum robur et vires perpetuis illis fratrum discordiis, civilibusque bellis nimis debilitatae et paene exhaustae erant. Quod quidem in eo praecipue cernitur, quod sedatis paululum Franco-

rum civitatis turbulentissimis tempestatibus civiumque furore extincto, quietus quidam et placatus rei publicae status apparuit. Erat tamen haec quies non placida illa, quae pacē et concordia efficitur, qua nihil civibus iucundius, civitati nihil salubrius potest inveniri, sed ea potius, quae languoris illius atque desidia, nimia virium intentione effectae, socia et sempiterna quasi est comes, molle quoddam otium, quo nulla futurorum tristiora civitati existere possunt praefugia. Omnium enim virtutum sterile quasi erat Chlotharii II Monarchae saeculum, et suum sibi quisque ex praeteritorum recordatione futurorum praefidium comparare cupiebat, usque tandem Pippinorum gens ad novos pristinae Francorum virtutem provocabat excitabatque labores. —

CAP. III.

De Maioribus domus et ipsorum potestatis incrementis ad proelium usque Textriciense Pippino II victore, a. 687.

§. 1.

Quae hactenus disputavimus, quamvis non ad Maiorem domus spectaverint, quatenus tamen ad nostram rem pertinuerint, vix monere opus est. Demonstrandum enim erat, quomodo Merovingorum gens ea, quae Francorum regi opus erat, virtute animique praestantia magis magisque caruerit, et ita non solum opportunitas, sed etiam quasi quaedam necessitas existerit, aliis regalem sedem potestatemque committendi. Quam quidem necessitatem etiam si non omnes, singuli certe et fortasse plurimi, pristinae scilicet Francorum virtutis atque gloriae non minus memores, quam cupidi, iam dudum intellexisse videntur. Attamen non minus arduum erat, aliam in Merovingorum locum gentem protinus substituere, quam Merovingis ipsis maiorum fortitudinem et auctoritatem reparare. Multis enim effrenata haec et dissoluta vivendi et rerum gerendarum ratio magis placuisse videtur, quam ordo et disciplina illa, quae bonorum tantum amica est. Perturbatio vero a regali stirpe profecta, nisi regibus ipsis, perenni quasi discordiarum fonte, extinctis, cessare non potuit. Quapropter id, quod repente non, nisi vi et reluctantibus haud paucis effici potuisset, tempori, omnium rerum effectrici et perturbatrici, erat permittendum.

Cum vero Maior domus regnum Francorum sibi vindicaret, distinguendum erit, quantum in huius ministerialis ad regalem ipsam usque sedem elatione temporum rationi atque vicissitudini, quantum contra Maiorum domus prudentiae et artibus sit tribuendum. Nam si verum est, quod in prima nostrae commentationis parte demonstrare conati sumus, Maioris domus conditionem ab ipso initio necessario talem fuisse, qualis ei potestatis sensim sensimque et quasi improvise augendae opportunitatem praebuerit, omnis fere huius ministerialis ars in eo posita fuisse videtur, ut primum conditionem suam recte cognosceret, deinde vero hac conditione ita prudenter et moderate in rerum vicissitudine atque perturbatione uteretur, ut Franci ipsi necessitatem Maiorem domus in Merovingorum locum subrogandi sentirent atque intelligerent. Utrum vero Maiores domus vel ab initio, vel vero etiam ex quo Pippini hoc munere fungebantur, certo quodam consilio ad regalem potestatem sibi vindicandam certisque quasi rationibus usi fuerint, nec ne, de hoc sane disceptatio et dubitatio moveri potest. Equidem tamen de huiusmodi consilio vehementissime dubitarim. Obstat nimirum singulorum Maiorum domus ingeniorum quaedam diversitas, quae diversam necessario et sentiendi et agendi rationem procreabat. Alius enim prudenter et moderate, alius temere et intemperanter agere solebat, et ita quo quemque ingenii indoles et natura ferebat, eo haud invitus sequebatur. Pippini autem egerintne ex certis rationibus, infra facilius demonstrari potest. Negari sane nequit, nobis nunc quidem totam illam aetatem uno quasi adspectu considerantibus mentisque velut oculis perlustrantibus genti Pippiniana communitate quoddam et certum fuisse videri consilium. At haud raro id, quod consilio effectum fuisse videtur, ex rerum natura atque necessitate explicandum esse, nemo negabit. —

§. 2.

Inquirentibus nobis nunc, quantum Maiores domus ipsi ad comparandam sibi regalem potestatem contulerint, de iis tantum ex his ministerialibus agendum erit, qui ad primam ipsorum conditionem omnino immutandam et potestatem augendam aliquid valuerint. Quapropter de iis, qui primi in fontibus nominantur, de quibusque, praeter nomen, nihil fere vel non, nisi talia narrantur, qualia partim leviora per se, partim etiam incertiora et obscuriora apparent, quam quae ad priorem potestatem augendam multa contulisse videantur, nihil habeo, quod adiciam. Ponamus enim, illud, quod Bادهحيفيلس epi-

scopus ordinatur, et Waddo Chilperici filiam in Hispaniam comitatur, honoris et propterea auctoritatis Maiorum domus quoddam quasi fuisse incrementum: vix tamen certius definire licet, quatenus talia ad infinitam seriorum Maiorum domus potestatem condendam pertineant; idque praecipue propterea, quod, quae inter primam Maiorum domus conditionem et eam tempore Badochifili et Waddonis obtinuerit differentia, vel plane non, vel coniectura tantum possumus invenire. Quaecunque vero fuerit prima huius ministerialis conditio et sive ea, quam nos proposuimus in superioribus, sive alia magis probetur sententia, duo sane prima et propterea primaria non solum honoris, sed etiam potestatis incrementa erant, quod Maiori domus exercitus ducendi provincia ad veterem potestatem insuper committebatur, et quod uni eodemque ad vitae suae tempus munus semel susceptum concedebatur. Quod utrumque casu et necessitate quasi urgente effectum, fundamentum tamen et principium haud immerito eius potestatis haberi potest, quae seculo octavo ipsam regalem sedem occupare potuit. Satis nimirum notum est, Brunichildem defuncto nepote, Theodorico, eius filium, Sigibertum, in paternam sedem substituere voluisse. Austrasii tamen atque Burgundiones, magis fortasse nimia illa Brunichildis imperandi cupiditate, quam Sigiberti infantia atque impotentia deterriti, Chlotharium II, Chilperici et Fredeguindis filium, clam et occulte arcesserant, ut simul cum paterno etiam ipsorum regnum susciperet, et ita discordiis fraternis civilibusque bellis finem imponeret. Quod cum comperisset Brunichildis primum precibus, deinde armis Chlotharium arcere conabatur, et propterea Warnacharium, Maiorem domus, cum Sigiberto nepote ad „gentes ultra Rhenum habitantes“ emittebat, quas contra Chlotharium excitaret excitatasque duceret. Odium tamen et ira, quibus in Brunichildem, sicuti omnes Austrasii et Burgundiones, ita Warnacharius flagrabat, eo augebantur quodammodo, quod Warnacharius, quantas ipsi Brunichildis insidias paraverit, fortuito comperiebat. Hoc sane erat exitii Brunichildis initium. Omnium enim animi, Brunichildis insolentia et furore iam dudum concitati, ad Chlotharium nunc sese convertebant, et quantopere Warnacharii ira in iracundiam et paene furorem exarserit praecipue in crudelissima illa Brunichildis caede apparuit, quam equidem maxime Warnachario auctore, quamquam iusta, non nimis honesta tamen vindictae cupiditate flagrante, perpetrata fuisse non abnuerim. Quemadmodum vero illud, quod Warnacharius a Brunichilde ad exercitum contra Chlotharium ducendum eligebatur, iam satis testatur, quanta fuerit Maioris domus prae ceteris auctoritas, sic, quid

valuerit, maxime tunc apparuit, cum Aufrasiarum animi semel ad Chlotharium sese convertere inceperant. Warnachario enim auctore Sigiberti et Brunichildis exercitus fugae se mandare cogebatur, Warnachario auctore Sigibertus cum fratribus et octogenaria ipsa Brunichildis Chlothario tradebantur, et maxime Warnachario auctore totum Francorum regnum uno Chlothario regendum committebatur. Quid mirum igitur, quod Warnacharius, sedatis civitatis tempestatibus, laborum quasi praemium, sacramento exegit a Chlothario, „ne unquam vitae suae temporibus degradaretur“? Quid mirum, quod Chlotharius ei, cui omnia debebat, omnia concedere non dubitabat? ¹⁾ Utrum vero Warnacharius in hoc muneris prorogatione ad nihil, nisi honoris quandam adhuc nemini concessam amplificationem, vel vero etiam meliorem vitae conditionem ad extremum usque diem sibi conservandam spectaverit, an secretiori quodam et graviore animi consilio iam tunc ductus fuerit, quamvis inquirere ad nostram rem praecipue pertineat, propterea tamen difficillima est disceptatio, quod in fontibus de his ne minimum quidem reperitur vestigium. Quodsi fortasse iam tunc ad altiora adspiraverit, illa ipsa, quam supra dixi, otiosa quies et animorum quaedam lentitudo, quae Chlothario II solo regnante obtinuit, maximo ei fuisse videatur impedimento, quin ulterius progressus fuerit. Quanti vero momenti haec potestatis incrementa Maioribus domus fuerint, intellectu non difficilius est, quam explicatu. Nam fieri non potuit, quin Maior domus, ex quo exercitus ducendi officium ei impositum fuerat, regalis potestatis maximam partem sibi vindicaret. Sive enim Ludenii, sive nostra, quantulacunque est, de Maioris domus prima conditione sententia probetur, prius huic ministeriali optima interiores quidem civitatis vires et, ut ita dicam, venas regni et nervos cognoscendi oblata fuerat opportunitas; nunc contra simul cum summo exercitus imperio totius populi robur et vires ad suos usus convertendi facultas et potestas ei tradebatur. Quocirca maximum Maioris domus artificium inde ex illo tempore in eo positum fuisse putaverim, ut ita sibi exercitus animos reconciliare studeret, ut suis consiliis libenter sese accommodarent; quo artificio recte adhibito quantum Pippini effecerint, cuique satis notum est. Alterum vero potestatis incrementum hanc potissimum ob causam haud minoris fuit momenti, quod quanto diuturnius quisque munere quodam perfungitur, tanto semper firmiter fit atque efficacior muneri coniuncta potestas; neque fieri potest, ut vir, etsi egregii ingenii, talem muneri afferat per breve temporis spatium auctoritatem, qualem alius per longam annorum seriem sine multo labore afferre potest.

Praeterea haec muneris Maioris domus prorogatio praecipue propterea memoratu dignissima est, quod quasi principium et fundamentum illius haereditatis iuris, quod muneri Maioris domus Pippini tanquam proprium vindicarunt, fuisse videtur. Quod quidem hereditatis ius prius nemini ex ministerialibus, nisi regibus, eisque consuetudine magis, quam legibus a Francis permissum fuerat. Atque ita videmus, quomodo Maiores domus sensim sensimque omnia ea iura sibi vindicarint, quae prius ad reges solos pertinuerant, usque tandem cum nomine regali regalis ipsa dignitas Maioribus domus a Francis impertiebatur. — Licet vero Warnacharius haud minimum ad augendam Maioris domus potestatem auctoritatemque contulisse videatur: tamen haud scio, an praecipui infinitae huius ministerialis potentiae auctores ex gente Pippinorum prodierint. Erat sine dubio iam dudum huic Pippinorum stirpi eximia quaedam inter Austrasios auctoritas, nec opibus minus, quam consilio valuisse videntur. Chlotharium II enim imprimis quoque Pippino I, quem a Landis recentiores cognominarunt, et Arnulfo suadentibus Austrasiorum regnum suscepisse scriptores memoriae tradiderunt.²⁾ Hac Pippinorum gente fortasse maiorum virtus patrumque gloria non grata solum recordatione, sed dignissima quoque aemulatione ad posteritatis usque memoriam non sine laude propagabatur. Avitae morum maiorum probitatis et simplicitatis haud immemor, Pippinus a Landis fortasse primus intellexit, quantopere muliebri regimen a gentis Francorum indole atque natura abhorreat; intellexit, unam Francos ad pristinam virtutem revocandi et ita salutem civitati reparandi viam et rationem in ea concordia positam esse, qua Chlodoveus olim suam sibi gloriam comparaverat. Quae quidem concordia quamquam Chlotharii Monarchia redire videbatur, eam tamen virtutem, quam ipsis turbulentissimis civitatis tempestatibus non, nisi singuli salvam sibi et incolumem conservarant, nec Merovingis nec toti Francorum genti ipse Pippinus restaurare potuit. Quantum vero Chlotharius II Pippini virtuti tribuendum putaverit, eo satis probavit, quod filium Dagobertum, quem regni participem sibi fecerat, eius tutelae atque praesidio commisit.³⁾ Nullum enim dignius meritorum praemium viro honesto tribui poterat, cui vera virtus et maximo decori et firmissimo erat praesidio.

§. 3.

Quo artiore autem ita necessitudinis vinculo Rex et Maior domus coniungebantur, eo magis et penitius hic illius imbecillitatem et infirmitatem cognoscere potuit. Postquam enim Maiores domus regis tutelam semel suscepe-

rant, reges hac tutela in suam ipsorum perniciem ita abutebantur, ut Merovingorum fragilitas atque inconstantia non, nisi Maioris domus praesidio, unico velut adminiculo, sustentari atque stabiliri videretur. Inde quod necessario secutum fuerit, cuique intelligere in promptu est. Regi enim mox nulla res magis erat necessaria, quam Maioris domus tutela atque praesidium; quod cum animadvertisset Maior domus, et cum nunc non modo necessitudinis, sed necessitatis quasi vinculis rex Maiori domus esset coniunctus, non difficillimum huic opus erat, tantam sibi apud regem comparare auctoritatem, ut ipsius arbitrio prorsus paene abnoxius esse videretur. Licet igitur iam Pippini I temporibus Merovingi facile supprimi et regali sede privari potuissent, difficilior tamen est disceptatio, utrum iam tunc Maiori domus regni occupandi quoddam desiderium in mentem venerit, nec ne. Concedendum sane est, potuisse iam tunc huiusmodi regni cupiditatem in Maiore domus oriri. Excitabat enim hanc cupiditatem Merovingorum fragilitas, adiuvabat atque angebat dissolutus civitatis status, confirmabat tuebaturque exemplorum copia. Nam non solum insolentes et audaces in tanta rerum perturbatione multi se prae-buerant,¹⁾ verum etiam regnum ipsum haud pauci iam dudum Merovingis eripere sibi etque ipsis vindicare, quamquam non prospero successu, conati tamen erant. Theodorico I iam regnante Mundericus regni cupiditati resistere non potuit;²⁾ sub Chlodovei nepotibus Gundobaldi prorupit audacia;³⁾ Chlothario II rege Rauchingus⁴⁾ et Aletheus,⁵⁾ Dagoberto Sadregifilus⁶⁾ ex nimia regni cupiditate non honorem sibi et gloriam, sed infamiam atque interitum compararunt. Quidni igitur potuerit certe Pippino I regni cupiditas in mentem venire? Potuit sane. At cavendum est, ne putemus, eam fuisse Pippini virtutem, quae de aliorum salute haud sollicita, suam ipsius tantum utilitatem atque gloriam curaverit. Longe sane alia, longe quasi sanctior erat Pippiniana virtus. Haec virtus respuebat inhonestam illam regni cupiditatem; haec virtus potius dolebat, quam triumphabat de labe eius stirpis, qua extincta, antiquae Francorum gloriae ipsa recordatio simul evanescere atque interire videbatur; haec virtus inclinatas Merovingorum vires resuscitare atque restaurare, quam supprimitere atque delere malebat.⁷⁾ Quodsi Pippinus supprimitere voluisset Merovingos, Dagoberti, qui Pippino duce pristinam gentis suae virtutem consecutus fuisse videbatur,⁸⁾ morum depravatione ingeniique perversitate⁹⁾ facile ad Merovingorum interitum et Dagoberti exitium abuti potuisset.¹⁰⁾ At Dagoberti semel deperdita virtus acerbissimo ipsius pectus

perfidit dolore,¹¹⁾ quam cum reparare non posset, honestius ducebat, stirpem regiam ipsius sorti atque vicissitudini permittere, quam perfido modo eius interitum, maturare.¹²⁾ Nam fuerat Pippini animus non prorsus ea spe destitutus, fore, ut mulierum illarum, quae maximam civitati calamitatem, summam Merovingis infamiam attulerant, furore extincto, repressa Merovingorum virtus iterum emergat; quae quidem spes quam diu perdurabat, tam diu de regno occupando ne cogitare quidem poterat. Neque defuerunt spei quaedam adiumenta. Nam Chlotharius II iam per quindecim illos Monarchiae suae annos Francorum animos sibi denuo reconciliasse videbatur¹³⁾ et contra Saxones non sine virtute atque laude pugnabat;¹⁴⁾ neque Dagobertus fortitudine bellica plane carebat.¹⁵⁾ Atque, ne iteratis regni divisionibus novae fratrum discordiae excitarentur civiumque vix restaurata pax denuo conturbaretur, Chariberto, Dagoberti fratri, quamquam regni quaedam, ut inde victum sibi compararet, regiminis tamen nulla concedebatur pars.¹⁶⁾ Nam praeteritorum recordatio in hac quoque re futurorum fuisse videtur optima magistra et firmissimum praesidium. Postquam vero, defuncto patre, Dagobertus in Neustriam reversus ab incepta virtutis via aberravit, restaurandae Merovingorum gloriae ultima spes simul evanuit. Aega enim eum favorem Dagoberti, quem Pippinus propter nimiam morum severitatem perdiderat, sublevandis et quasi fovendis libidinosi regis voluptatibus sibi vindicasse et conservasse videtur.¹⁷⁾ Et ita is, qui, omnium bonorum spes et fiducia, ultimus quasi erat ex vetere Merovingorum stirpe, huius stirpis interitum non avertit, sed sicuti ii, quos secutus erat, ita ipse et praeparavit et maturavit. Sequitur enim nunc nova quodammodo stirps, misera illa quidem, cui cum veteri nihil videtur fuisse commune, nisi avitum nomen Merovingorum.

§. 4.

Quodsi his ita consideratis contendere possumus, Pippino I nondum regni cupiditatem in mentem venisse, quam vehemens contra quamque praematura Grimoaldi, Pippini I filii, fuerit regni affectatio, ipsius interitus satis testatur. Dagobertus enim, ut inde proficiscamur, sicuti olim a patre Chlothario Austrasiis fuerat praepositus, ita nunc filio Sigiberto eandem regni partem regendam committebat, Adalgifilo Duce et Chariberto Episcopo Colonensi tutoribus.¹⁾ Pippinus tamen utrum ab initio regni Sigiberti Maior domus Austrasiorum fuerit, pro scriptorum ambiguitate, vix certius definire licet. Con-

tra vero nemo dubitabit, quin Dagoberto defuncto Pippinus re vera munere Maioris domus Aufrasiarum ornatus fuerit, omnibus scilicet scriptoribus de hoc consentientibus.²⁾ Quod munus, legitimum velut patrimonium, quamvis non sine aliorum invidia atque contentione,³⁾ defuncto Pippino ipsius filius Grimoaldus suscepit,⁴⁾ susceptumque si non aequa temperantia et prudentia, non sine virtute tamen animique vigore administrabat. Quod vero supra dixi, Pippinum I nondum regni sibi suisque vindicandi cupiditate flagrasse, neque aliud, nisi Merovingis paternam virtutem reparare regnumque stabilire atque confirmare, consilium persecutum fuisse, idem quam vere dixerim, inde quoque colligi potest, quod de successore scilicet non sollicitus, quantum ex fontibus perspicere licet, ad filii electionem nihil contulisse videtur. Sed potius Aufrasiarum fiducia, quam Pippinus sibi comparaverat,⁵⁾ in Grimoaldo patris fortitudinem atque virtutem iterum invenire opinabatur.⁶⁾ Quod enim olim genti Merovingorum regnum Francorum comparaverat, idem nunc genti Pippiniana munus Maiorum domus Aufrasiarum tanquam proprium vindicabat, grata, inquam, paternae virtutis recordatio. — De Grimoaldo igitur in Vita Sigiberti regis talia narrantur, quae, si vera essent, non difficile esset explicatu, quomodo regni cupiditas Maioribus domus fuerit excitata. Dicit nimirum auctor, Sigibertum ita Grimoaldi Maioris domus fidelitate atque morum probitate fuisse delectatum, ut eius filium Childebertum ipse regni sui et successorem et heredem elegerit, ea tamen conditione, ut non, nisi tum Childebertus regnum susciperet, cum ipse filio orbatum vitam finiverit. Hoc pacto igitur Sigibertum inter et Grimoaldum ita facto, Sigiberto filius nascitur, Dagobertus, qui Grimoaldo educandus traditur, ita, ut pactum illud pro irritum habeatur, et nunc non Childebertus, sed Sigiberti ipsius filius, Dagobertus, patrem ex iure hereditatis sequi debeat⁷⁾. De hoc Sigiberti cum Grimoaldo inito pacto pauca differere praecipue propterea non superfluum duxerim, quod quantum equidem scio, nec antiquiores, nec recentiores, qui de Merovingis scripserunt, de hoc Vitae Sigiberti loco quidquam accuratius differuerunt.⁸⁾ Nam mirum sane est, praeter hunc vitae Sigiberti auctorem, neminem scriptorum de hac filii Grimoaldi quasi adoptione, quam, si vera fuerit, memoratu satis dignam equidem habuissem, ne verbum quidem monuisse. Quantum vero in talibus soli unius auctoritati, nisi aliae accedant,tribuendum sit, cuique satis erit perspicuum, qui scriptorum medii aevi indolem et fidem historicam non plane ignorat. At, ne temere haec disputasse videamur, verane an ficta sit, vel po-

tius esse videatur haec narratio; et quid in utramque partem disputare liceat, investigemus necesse est. Primum igitur veritatem vel verisimilitudinem huius pacti Grimoaldi audacia, defuncto Sigiberto, si non plane comprobare, sustentare tamen quodammodo atque adiuvere videtur. Nam causa, cur Grimoaldus post Sigiberti obitum suum ipsius filium in regalem sedem substituere voluerit, non recte intelligitur, nisi iam antea regni occupandi quoddam desiderium fuerit excitatum, et via quodammodo monstrata, qua huic desiderio satisfieri possit. Hac adoptione vero et excitabatur desiderium, et via, qua satisfieri possit desiderio, optime monstrabatur. Nisi forte Dagoberti infantia, perturbata civitatis conditio, et nimia quaedam Grimoaldi honoris et gloriae cupiditas causam idoneam, cur ita egerit, praebuerint. At cur Grimoaldus non sibi ipsi, sed filio regalem dignitatem vindicare conabatur? cur pater filii ipsius imperio se subiicere, quam imperium ipse suscipere malebat? — Propterea, quod Sigibertus non patrem, sed filium heredem sibi elegerat. Ita non inepte aliquis concludat; an recte, dubitare licet. Deinde ita fortasse huius narrationis veritatem alius defendat, ut dicat, hoc Grimoaldum inter et Sigibertum de successione pactum non publica auctoritate, sed clara et clandestino quasi foedere factum fuisse, ita, ut aequalibus de hac re quandam notitiam sibi comparare ne licuerit quidem. At, si ne aequales quidem scriptores quidquam de hac re commemorarunt, unde tandem Sigibertus Gemblacensis, qui saeculo duodecimo vixit, (obiit a. 1113) hanc notitiam percepit? — Sunt sane multo plura, quae, quam ficta sit quamque inepta illa narratio, satis testantur. Ac primum quidem commune omnium scriptorum de hac re silentium magnum et grave contra huius rei veritatem praebet testimonium. Nam cogitari vix potest, licuisse Sigiberto talem sine Francorum consensu et sine ulla publica auctoritate pactionem facere, quae, nisi a Francis, qui reges sibi ipsi eligere consueverant, probata, nullam unquam vim et auctoritatem habere potuerit. Sin vero omnibus Francis consentientibus, et fortasse in publico illo concilio, quo Franci quotannis Calendis Martiis convenire solebant, Sigibertus filium Grimoaldi successorem sibi elegisset, Annalistae et Chronicorum scriptores rem tanti momenti tantaque gravitatis neutiquam plane ignorare potuissent. Deinde vero quaerendum est, cur Sigibertus de successore sollicitus, non fratrem, Chlodoveum, qui Neustravorum regnum tunc tenebat, eiusque filios, quos tres habebat, respexerit? — Num denique illud probabile videatur esse, quod princeps, sex vitae lustris vix peractis, cui nec connubii nec prolis spes plane

adempta esset, ita temere sibi iam regni heredem elegerit? 9) Rara sane haec et Merovingis non usitata fuisset sollicitudo. Num omnino opus est tali narratione ad explicanda et excusanda ea, quae Grimoaldus defuncto Sigiberto egisse narratur? Omnes nimirum et aequales et seriores scriptores de eo consentiunt, Grimoaldum post Sigiberti obitum eius filium infantem, Dagobertum, in monasterium quoddam Hiberniae insulae relegasse, et suum ipsius filium, Childebertum, in Sigiberti locum substituisse; Chlodoveum tamen, Sigiberti fratrem, non sine Francorum auctoritate, hac insolentia commotum, Grimoaldum simul cum filio primum in carcerem coniecisse, deinde interfici iussisse. 10) At, quod iam dixi, Maioris domus conditione, regum ex gente Merovingorum imbecillitate, dissoluto civitatis statu, multisque aliis secretionibus quasi incitamenti facile regni cupiditas provocari poterat, quae semel provocata quid valeat, omnium temporum historia satis testatur. Quod vero Grimoaldus non se ipsum, sed filium Austrasiorum regem constituere voluit, inde fortasse explicare liceat, quod ita Grimoaldus non tam sibi ipsi, sed genti suae, filio et posteris, regnum Francorum vindicare et confirmare posse opinabatur. Atque Austrasii fortasse admisissent Childeberti regnum, nisi forte singuli invidia et odio commoti ceterorum animos contra Grimoaldum excitassent. Multi enim iam tunc existisse videntur, qui genti Pippinianae munus Maiorum domus non modo inviderent, sed etiam ereptum cuperent. Nonne Ottonis interitus eorum animos ad vehementissimam iracundiam et vindictae cupiditatem inflammavit, qui Ottoni munus Maioris domus prius vindicare conati erant? — Quodsi igitur narrationem de pacto illo fictam quippe et commentitiam refutandam putamus, restat, ut quomodo orta fuisse videatur, paucis explicemus. Plures tamen cogitari possunt originem huius commenti explicandi rationes. Fieri enim potuit, ut seriores, Grimoaldi insolentiae atque praematurae audaciae explicandae cupidi, hoc de filii Grimoaldi successione pactum confinxerint, quod primum in hominum ore et fama versatum fuerit, deinde ab auctore illo Vitae Sigiberti novum quasi et insigne libelli et historiae Sigiberti incrementum litteris fuerit mandatum. Quid? quod huius commenti origo fortasse a Grimoaldo ipso repeti queat? Quidni enim Grimoaldus vel priusquam filium in Sigiberti locum substituere ausus sit, ad Francorum animos sibi reconciliandos, vel deinde, a Chlodoveo in vincula coniectus, si non ad regalem sedem, vitam certe et Maioris domus provinciam sibi conservandam huiusmodi pactum, quamvis inepte, confingere tamen potuerit? Fuisset enim haec crimi-

nis, si non defensio, excusatio certe et ultima salutis et unica spes. Sin vero non ita orta fuerit, fortasse seriori tempore Carolingis auctoribus eo quidem consilio conficta esse videatur, ut Carolingi ipsorum regalem potestatem in hoc pacto, avito tanquam iure, conditam esse dicere potuissent. Attamen Carolingis huiusmodi iure ad stabiliendam ipsorum regalem potestatem opus fuisse, vix crediderim, nec, si opus fuerit, multum valuerit. Nam huius pacti recordatio, Grimoaldi simul insolentiam et interitum non potuisset non iam memoriam revocare, ita, ut non reconciliaverit genti Pippinianaе Francorum animos, sed potius averterit atque abalienaverit. Attamen tota haec res non tam propter causas, cur ita egerit Grimoaldus, quam propter consecutionum gravitatem maximi videtur esse momenti.¹¹⁾ Nam Grimoaldi exemplum eam regni cupiditatem Maioribus domus excitasse videtur, cui ex hoc inde tempore alius aliter satisfacere studebat, usque tandem illa cum moderatione atque prudentia coniuncta fortitudo id assequebatur, quod audacia et intemperantia nullo modo assequi potuit.

§. 5.

Si verum est, nulla medicina corruptam semel virtutem reparari, nullis remediis eius malis unquam mederi posse, quae, quoties tanquam in venis et medullis infederint, non, nisi cum eorum interitu, qui illis malis laborant, simul desinunt, huius rei veritas historia Merovingorum inde a temporibus Dagoberti I ad eorum usque interitum maxime comprobatur. Quamquam enim Dagobertus novas salutis spes excitaverat,¹²⁾ quamquam Grimoaldi interitus novam Merovingis auctoritatem eorumque regno firmitatem comparasse videbatur, nimis tamen iam enervata, nimis debilitata et quasi infracta erat pristina Merovingorum vis et robur, quam qui ex tanta vitiorum copia ad maiorum virtutem iterum emergere unquam potuissent. Inde, puto, factum est, ut omnes fere et coactanei et seriores Francorum historiae scriptores inde a Chlodovei II temporibus Merovingorum labis originem et quasi principium deducant.¹³⁾ Idque recte; nam licet causae principales Merovingorum interitus et eorum labis initium haud immerito iam inde a nepotibus, immo filiis Chlodovei, ut supra demonstravi, repeti queant vel debeant: tamen concedendum sane est, inde a Chlodovei II aetate maxime apparuisse, quantopere Merovingorum gens a vetere virtute desciverit, quam indigni sint ii Francorum regimine, qui se ipsos nec regere, nec continere poterant. At eorum facta enarrare velle, qui

nihil fecerunt, non minus temerarium, quam arduum habuerim, et haud scio, an ultra conatum cuiquam progredi non liceat. Sufficiet igitur de his Merovingis a Dagoberto I usque ad Childericum III (638 — 752) in univ-
 sum quaedam monere, et non tam expressam illius aetatis imaginem, quam adumbrationem tantum facere. Plurimi horum regum erant infantes aut pueri, et si quis ex iis ad eam aetatem adoleverat, qua iuvenilis quaedam animi vis, ingeniique virilis ille vigor apparere solet, non excolebantur fovebanturque illae virtutes, sed quocumque modo corrumpebantur et prorsus supprimebantur. Omnibus vitiis, imprimisque libidinosis voluptatibus ita assueverant, ut totam fere vitam in his consumpsisse viderentur, quae quo magis a iuveni illa aetate, quo magis omnino ab humanae naturae dignitate abhorrebant; eo maiori legentis animum fastidio replent. Fortasse id, quod de Chlodoveo II complures veteres scriptores memoriae prodiderunt, de omnibus, qui deinceps ex Merovingorum gente regnum Francorum susceperunt, pari iure dici potest³⁾. Neque mirum est, de his Merovingis historicos, praeter nomina et vitia, nihil fere referre. Illud enim certamen, quod Maiores domus ad comparandam sibi regalem potestatem subibant, non contra Merovingos, sed cum gente Francorum erat suscipiendum et singulorum Merovingorum nomina fere non, nisi eo nobis servata sunt, quod singuli Maiores domus ad suum quisque consilium quam aptissime assequendum regibus quodammodo abutebantur⁴⁾, quibus ita non modo omnis regalis potestas, sed agendi ipsa libertas plane adimebatur⁵⁾. Non immerito igitur recentiores hos reges, „les fait-néants“ nominarunt; quamquam non defuerunt, qui eos contra huiusmodi calumniatores defendere, eisque violatam quasi gloriam atque virtutem vindicare conarentur⁶⁾. Attamen etiamsi singulorum quaedam virtus eluxerit, et praeclarum aut forte quoddam facinus editum fuerit, hoc tamen ad communem Merovingis morum perversitatem sanandam nihil valuit. Et cum nostra plurimum interesse debeat, communem quasi illorum Merovingorum indolem adumbrare, singula virtus, quamquam per se omni laude dignissima, memoratu tamen vix digna esse videatur.

§. 6.

Quantum vero regum aetas illa quasi pupillaris ad augendam Maiorum domus potestatem contulerit, per se satis patet. Plerumque enim regum tutela et cum hac tutela regni administratio regum matribus et Maiori domus committebatur. Omnis igitur ars, quam Maior domus nunc ad augendam pote-

statem adhibere poterat, in eo posita erat, ut tum regum matres, tum Francorum animos sibi ita reconciliaret, ut neutrorum arbitrio obnoxius esse videretur. Quod utrumque quamvis per se arduum et difficile fuisset, alterum tamen muliebri imbecillitate, alterum perturbatione illa, quae regum aetate, quam dixi, pupillari necessario efficiebatur, satis quasi adiuvabatur. Sicuti enim Sigiberto III regnante Radolfus, Thuringorum dux, Francorum imperio se subducere non sine prospero successu conatus erat¹⁾, ita sequenti tempore regibus magis magisque ad interitum corrudentibus permulti sive mera insolentia, sive falsae libertatis quadam cupiditate inducti, optimam sibi oblatam esse opportunitatem opinabantur ad ea, quae assequi iam dudum optaverant, certius nunc atque facilius assequenda. Ii vero, qui ordinem et disciplinam restauratam cupiebant, ducem et rectorem desiderabant. Qui quidem dux cum unus fere Maiordomus, deficiente scilicet rege, esse posset, hic ministerialis mox leudibus non minus, quam regi, erat necessarius. Nihilominus tamen Maiores domus a Grimoaldo usque ad Pippinum II ad augendam huius ministerialis potestatem nihil fere contulerunt. Chlodoveo II enim regnante simul cum eius matre Nanthilde, Aega summam quasi imperii tenebat, qui quamvis Pippini virtutem aemulatus fuisse videatur, nimis tamen sacrae illi auri fami indulgit, quam qui nobilior ad pristinam Francis virtutem reparandam consilium capere valuerit²⁾. Aegane defuncto Erchinoaldus, qui Merovingis cognatus fuisse fertur, Maior domus Chlodovei constituitur. Is, ut erat magis animi mansueti et sedati, quam vigentis et concitati, maxime id egisse videtur, ut non tam vi et armis, quam pace et concordia Francis imprimisque Merovingis patrum virtus et gloria repararetur³⁾. Eodem fere tempore in Burgundia Flaohatus munere Maioris domus fungebatur, qui tamen non tam ex suo ipsius, quam potius ex Erchinoaldi et praecipue Nanthildis arbitrio egisse videtur⁴⁾. Uterque vero Maiordomus, fortasse iam tunc secretiori quodam consilio ducti, leudum favorem sibi reconciliare maxime studebant⁵⁾, et ipsa Nanthildis magis Maioribus domus, praecipue Flaohato, quam Merovingis et filio favisse videtur; quamquam illud, quod Nanthildis ipsius neptem Flaohato uxorem adiunxerat, aequalibus et posteris falsarum suspensionum ansam praebere sane poterat. Quod vero hi consilio et ratione, modo longius vitae spatium iis contigisset, fortasse effecissent, id contra is, qui Erchinoaldum secutus est, audacia et furore efficere voluisse videtur. Chlodovei enim defuncti regnum ipsius filius Chlotharius III, regnante scilicet matre Baldechilde et Maiore domus

Ebroino, suscepit⁶). Quodsi aetas illa ultimorum Merovingorum fortasse omnino nihil praebere videatur, quo ad posteritatis usque memoriam commendetur; tamen haud scio an cuique ingenue et illa mentis oculorum tanquam acie, qua omnia clarius et accuratius perspiciuntur, rerum humanarum naturam atque vicissitudines consideranti haud iniucunda appareat observatio, quantes tunc Francorum civitati vicissitudines Maiorum domus ingeniorum diversitas procreaverit. Quibus ex ministerialibus maxime memoratu dignus est Ebroinus, tum propter propriam ingenii indolem, tum imprimisque propterea, quod, sedatis paululum civitatis procellis, novas iterum excitavit tempestates, quae Merovingis interitum, Maioribus domus regnum pararunt. Nisi enim Ebroini proruperit audacia, non Pippini II temperantia, Caroli Martelli fortitudo non eluxerit. Ebroini furore provocabantur virtutes, quae quo rariores tunc erant, eo maioribus a posteritate laudibus merito efferuntur; Ebroini nimia regni cupiditate naturalis illa Francorum disiunctio, quae ad Pippini II gloriam haud minimum contulit, maturabatur. At Ebroinus ingenio suo fortasse meliores sibi suaeque genti comparaverit fructus, nisi illa moderatione animique constantia plane caruerit, qua carente eximia ipsa virtus nihil magnum, nihil praeclarum unquam efficere potest. Interim in Austria Wulfoaldus, Theoderico III et Childerico II, qui Theoderico exulante solus Francorum regnum obtinebat⁷), regnantibus, Maioris domus munere fungebatur⁸). Ebroinum vero, cum Francis avita iura eripere et sine leudum consensu Theodoricum defuncto Chlothario III substituere conaretur, leudes hac insolentia commoti simul cum Theodorico in monasterium, tutissimum tunc et ultimum in periculis confugium, se recipere cogunt⁹). Quantopere vero monastica illa vitam ducendi ratio ab Ebroini ingenio abhorruerit, paulo post apparuit. Fefellit enim Francos spes, fore, ut Childerico solo regnante nova civitati salus et felicitas efflorescat, quippe cum non minus iniustum et insolentem se praeberet, quam Ebroinus ipse se antea praebuerat. Nam cum novis legibus provisum esset, ne iterum nimia licentia Maiores domus commissa sibi potestate abuterentur, has leges etsi confirmaverat Childericus, de earum integritate tamen non multum sollicitus fuisse videtur. Sanxerant nimirum Franci Ebroino expulso, ne Maior domus e sua provincia in aliam finitimam invaderet, neve unus idemque ad vitam hoc munere fungeretur, sed, sicut antiquitus, suus cuique anno Maior domus eligeretur¹⁰). Serius tamen eius ministerialis potestatem legibus infringere conabantur, qui iam dudum non tam legibus obtemperare, quam

leges praescribere consueverat. Cum vero Childerici imbecillitas novam civitati firmitatem parare non posset, nemo mirabitur, ipso crudelissime necato ¹¹), perturbationem denuo idque vehementius prorupisse. Wulfoaldus enim in Austrasiam confugit, Leudecius Maior domus eligitur ¹²), qui uterque quo magis Ebroini exilio deterriti essent, eo minus ad ordinem et disciplinam restaurandam valebant. Augebatur insuper perturbatio eo praecipue, quod Childerico defuncto is plane desiderabatur, qui regnum susciperet ¹³). Nam sicuti permulti dissolutam hanc civitatis conditionem satis opportunam putabant ad libertatem, quam amiserant, recuperandam ¹⁴), ita Ebroino praecipue nihil opportunius accidere potuit, quam tanta rerum perturbatio, qui e Luxovio Monasterio praeter omnium spem et opinionem in Neustriam reversus omnibus novum in animos terrorem iniiciebat. Quanto diutius enim furor retenta et constricta fuerat, tanto vehementiori nunc impetu prorumpebat vindictae cupiditas ¹⁵). Auctor Vitae St. Leodegarii refert, Ebroinum Chlodoveum quendam, quem Chlotharii III filium fuisse contenderit, regem sibi elegisse, quo regia quasi auctoritate licentius agere potuisset ¹⁶). Quam rem etsi ceteri scriptores taceant, tamen non prorsus abnuerim. Propterea enim fortasse nihil de hoc Chlodoveo memoriae prodiderunt scriptores, quod non germanus, sed suppositus, filius Ghlotharii esse videbatur. Neque eius regnum diu durasse videtur; nam paulo post Ebroinus ad Theodoricum se contulit ibique dolo et artibus id obtinuit, ut iterum Neustrasiorum Maior domus constitueretur ¹⁷). Exemplis tamen demonstrare velle, quantopere deinde Ebroinus recuperata potestate abusus sit, fere temerarium videtur esse opus. Nam omnes fere scriptores, qui tunc vixerunt, nihil, nisi Ebroini flagitia praebent ¹⁸), cuius crudelitati et intemperantiae nisi Austrasii fortiter se opposuissent, non modo Merovingi, sed ipsa Francorum civitas non potuisset non ad interitum usque corruiere.

§. 7.

Quemadmodum non defuerunt, qui Ebroini reducis partes libenter sequerentur, et sicuti exilii, ita nunc flagitiorum socii essent ¹), sic contra exstiterunt haud pauci, qui Ebroini audaciae et furori temperantiam et consilium opponere vehementissime cuperent. Hi tamen ab initio, duce et quasi capite destituti, non tam re et armis, quam voluntate atque verbis contra Ebroinum pugnabant. Nimis enim tanta rerum, vicissitudine bonorum animi perterriti

erant, et virtutem ipsam furori et audaciae obnoxiam fuisse, non est; quod miremur. Verum tamen naturali quadam bonorum consensione tandem id effectum est, ut praesertim in Austria sensim sensimque quaedam quasi factio oriretur contra Ebroinum, quae ab initio quidem numero non minus, quam viribus tenuis et invalida, ita tamen magis magisque increvit, ut, adiuvente haud parum naturali illa Aufrasiarum et Neuftrasiarum ingeniorum et morum diversitate atque proprietate, id, quod non nisi singulorum ab initio videbatur esse conatus, mox ad gentem et civitatem pertinere videretur. Wulfoaldus enim qui Dagobertum, a Grimoaldo in Hiberniam relegatum, in regnum restituisse fertur²⁾, quamquam Maior domus erat, non tantum tamen opibus et virtute ad Francorum animos sibi reconciliandos valuisse videtur, quantum Pippinus, Anfegifili et Beggae filius, Pippini I et Arnulfi nepos. Paterna disciplina enim formatus et materna institutione quasi enutritus³⁾, Pippinus avi et maiorum virtutes non modo aemulatus, sed consecutus, non consecutus modo, sed transgressus adeo fuisse videtur. Nam si quid est, quod fortitudine et virtute, animi ingeniique vigore et alacritate, consilio et temperantia unquam et assequi et efficere aliquis potest, id hic Pippinus, Heristallensis, assecutus est et effecit. Gloriosa et grata avi recordatio non minus, quam opum copia et splendor, morum probitas et decus non minus, quam insigne iustitiae et aequitatis studium Aufrasiarum amorem et fiduciam Pippino reconciliavit, tenuit, auxit⁴⁾; ita, ut discesso e vita Wulfoaldo, non longa deliberatione et disceptatione opus esset, quis dignior et aptior in Wulfoaldi locum substitueretur⁵⁾. Eum enim omnium animi lege et publica auctoritate ducem sibi propositum vehementissime cupiebant, quem iam dudum sua sponte fere omnes secuti erant. Ita igitur Pippinus Aufrasiarum Maior domus eligebatur, cuius tutelam Theoderici impotentiae et Ebroini crudelitati atque furori iam tunc praeferebant. Interfecto enim Dagoberto⁶⁾, Aufrasi Theoderici et Ebroini imperium neutiquam perferendum putabant, et Pippino duce pro libertate sanguinem profunderere, quam libertate carere malebant. Pugna inita tamen Aufrasiarum et Pippini fortitudo Ebroini furori victoriam, adversa sine dubio fortuna, concedere coacta erat⁷⁾. Insolita scilicet nimis et nova erat haec pugnandi ratio, nec armorum aequa conditio. Quamvis vero haec Ebroini victoria tristissimum Aufrasiis futurorum praesagium erat, Pippini tamen virtus, quo vehementior exardebat Ebroini furor, eo magis bonorum animos in spem et fiduciam erexit⁸⁾. Atque tanta erat Pippini fama et desiderium, ut ex ipsis Neuftrasiis

permulti partim Ebroini insolentia perterriti, partim eius audaciae se opponere non audentes, in Austriam confugerent et Pippini tutelae suam ipsorum salutem committerent atque commendarent⁹⁾. In tanto vero rerum discrimine opportunissima sane evenit Ebroini caedes. Ita enim finis quodammodo imponebatur perturbationi, auctore scilicet perturbationis ipso finito. Is, qui caedem perpetraverat, a Pippino, non flagitii ipsius quasi defensore et tutore, sed causarum rei et gravitatis optimo aestimatore, benigne excipiebatur¹⁰⁾. Quanta vero Pippini in rebus adversis fuerat fortitudo atque constantia, tanta nunc eiusdem in rebus prosperis erat prudentia atque moderatio. Nam cum ii, qui ex Neustria ad Pippinum confugerant, interfecto Ebroino intemperanter Pippinum ad ulciscendas a Theodorico sibi allatas iniurias iterum iterumque excitarent, Pippinus contra „sedato animo“, ut ait auctor Annalium Mettensium, potius precibus et verbis, quam vi et armis honorem et opes, quas amiserant, Neustriasis restaurare et vindicare studebat¹¹⁾. Ebroino enim successit Waratto, de quo tamen, praeter discordias cum suo ipsius filio, Gislemaro, quas non tam Waratto ipse, quam Pippinus finivit, scriptores plane nihil, quod posteritati traderetur, dignum putarunt¹²⁾. Sed Warattonem mox secutus est Bertharius, morum et audaciae Ebroini aemulus. Itaque multi iterum, a Berthario nimis vexati, ad Pippinum confugiunt eumque precibus ad vindictam concitare conantur¹³⁾. Quibus permotus et paene defatigatus Pippinus denique legatos de opibus sine ullo detrimento restituendis et de pace in posterum conservanda ad Theodoricum mittit. Qui cum non tam Theodorico reluctantante, quam Berthario incitante re infecta redirent, Pippinus invitus armis id efficere coactus est, quod verbis effici non poterat. — Sequitur nunc id historiae Maiorum domus tempus, quo non modo huius ministerialis potestas ad summum usque fastigium pervenit, sed etiam gentis Pippinianae regnum Francorum conditum et sempiterna apud posteros gloria est stabilita. Proelium enim Textriciense Pippini Heristallensis virtuti et temperantiae aere sane perennius, dum praeteritorum memoria vigebit, dum praeconiis maiorum facinora celebrentur, posuit et stabilivit monumentum. Satis enim notum est, quam invitus et reluctantante animo, iteratis frustra pacis restituendae periculis, bellum civile susceperit, quam fortiter deinde quamque praeclare, non suam ipsius scilicet utilitatem, sed civitatis salutem spectans, oratione et exemplo Austrasiorum animos ad victoriae spem excitavit atque erexit, quam denique non mere prorumpendo, sed prudenter cunctando suis victoriam, civitati salu-

sibi gloriam sempiternam comparaverit¹⁴). Parata vero sibi victoria ita usus est Pippinus, ut inde non minores, quam ex victoria ipsa laudes reportasse videatur. Oppressis enim inimicis, reconciliatam sibi amicorum fiduciam retinere et conservare vix melius poterat, quam illa moderatione, quae quo rarior est in rebus prosperis, eo luculentius verae animi magnitudinis praebet testimonium. Interemto enim Berthario Theodoricus facile a Pippino suppressi potuisset, nisi ipse honestius duxisset, regia potestate contentus, regium nomen ei concedere, qui praeter hoc ipsum nomen, de regia dignitate fere nihil unquam cognoverat. Redux igitur ad patrias sedes, sicut olim avus Austrasiam, ita nunc totum Francorum regnum aequa cum laude Pippinus Heristallensis, Maior domus, regebat¹⁵).

CAP. IV.

De ultimis Francorum Maioribus domus. Merovingorum interitus. Initium regni Carolingorum.

§. 1.

Maiorem domus iam nunc ad eam potestatem pervenisse videmus, quae praeter nominis varietatem, ab ipsa regia fere non differebat. Pippinus Heristallensis enim post proelium Textriciense ea omnia iura, quae prius ad regem solum pertinuerant, tanquam propria sibi vindicabat et propterea Maior domus eum potestatis gradum assecutus fuisse videbatur, in quo, semel assecuto, subsistere non minus difficile est, quam facile ulterius progredi. Quodsi Franci Maioris domus potestatem opprimere et ad pristinam conditionem revocare omnino voluissent, id sine dubio nunc, post proelium Textriciense, necessario fieri debebat. Nunc erat certis legibus coercenda et certis quasi finibus circumscribenda huius ministerialis potestas, nunc non uni eodemque ad vitam, sed singulis annis aliis eisque ex diversis gentibus Maioris domus munus erat committendum, nunc denique summum exercitus imperium Maiori domus plane adimendum erat. At etiamsi voluissent Franci Maioris domus potestatem comminuere, quis unquam tunc Pippino Heristallensi se opponere

valuisset? Erat enim eius potestas non vi et armis crudeliter, sed vera virtute et moderatione, non subito et fortuito, sed rerum necessitate, non Francis invitis, sed potius adiuvantibus parata; et sicuti hoc modo fundamentum potestatis per se satis firmum videbatur esse, ita Pippini insignis illa prudentia firmissimo ei nunc erat praesidio atque adminiculo. Pippinus enim ita imperabat, ut optimus quisque eius imperio se subiicere non dubitaret, neque quisquam alium et meliorem principem desideraret. Quod qua arte effecerit, ex superioribus patet. Sed alia sane arte opus erat ad comparatam semel potestatem conservandam atque amplificandam. Postquam igitur proelio Textriciensis bellum intestinum finitum fuerat, prima et primaria Pippini cura in eo versabatur, ut pristina disciplina et ordo restitueretur, quo restituto maxime sperabat, fore, ut pristina Francis virtus, avita morum simplicitas rediret. Quapropter, priusquam ad Austrasios redibat, ne quid contra ordinem egisse videatur, Nortbertum Neustrasii Maiorem domus praeponerat¹⁾. Ad disciplinam vero restituendam praecipue pertinebat Placitorum, quae publica illa concilia vocabantur, renovatio²⁾. Intellexerat enim Pippinus, quanta ex his conciliis commoda tum ad gentem Francorum, tum ad se ipsum redundarent. Nam sicuti anniversariis Placitis Francorum animi ad pacem et concordiam coniungebantur, ita eadem Maiori domus optimam Francorum animos sibi reconciliandi praebebant opportunitatem, quippe quibus Franci Maioris domus consiliorum participes quasi atque conscii fierent; quo nihil ad captandam benevolentiam plus valere potest. Deinde vero Clericorum praecipue favorem sibi comparare studebat, non ignorans, quantam tunc vim Clericorum verba ad populi animos exerecent. Devictis autem internis inimicis et pace restituta, haud dispari fortuna contra finitimas gentes, quae Francorum civitatis perturbatione adiutae libertatem sibi recuperare conatae erant, pugnabat, ita, ut non modo Pippini, sed etiam Francorum gloria denuo ad exterarum usque gentes permaneret. Nam multae ex finitimis et exteris gentibus Pippini amicitiae studebant,³⁾ quantum eius favori, ex cuius arbitrio gens Francorum ageret,tribuendum sit, non ignarae. Quae omnia quanto plus ad augendam Pippini potestatem contulerint, tanto magis mirandum esse videatur, Pippinum Francorum regnum nondum sibi suisque vindicasse. At si quis accuratius temporum rationem consideraverit, non tam Pippini cunctationem, quam prudentiam mirabitur. Restaurata enim vix et nondum satis firmata pace, fieri non potuisset, quin nova regni affectatio novas excitaverit discordias, et etiamsi Austrasii Pippino re-

galem dignitatem haud inviti concesserint, Neuftrafiorum tamen non minima pars vix aequo animo eius imperium pertulerint, cuius virtutem non, nisi victi agnoverant. Atque nisi omnibus Francis consentientibus, difficillimum erat, Merovingis paternum regnum eripere. Pugna Textriciensi vero omnis Aufrastiorum et Neuftrafiorum consensio et quasi concordia plane deleta erat, usque tandem commune periculum omnium Francorum animos denuo, Carolo Martello duce, ad libertatis conservandae studium consociabat. Neque Grimoaldi audaciae recordatio ex omnium animis evanuerat; et Ebroini temeritas Pippinum edocuerat, quantam civitati calamitatem intemperantia attulerit. Quamobrem Pippinus praesertim id egisse videtur, ut, priusquam sibi suaeque genti regnum, civitati salutem compararet; nam nisi salva civitate, imperanti imperium nec salvum, nec iucundum unquam esse potest. Nihilominus tamen eximia quaedam prudentia Pippini in comparanda non tam sibi, quam genti suae regali potestate satis eluxit. Quod enim posthac per saepe ad principum potestatem augendam et gloriam amplificandam permultum contulit, id quantopere ad domus suae potestatem stabiliendam valeat, Pippinus Heristallensis iam tunc optime perspexit. Cum nimirum duo Pippino filii essent, Drogo et Grimoaldus, Drogonem quidem, natu maiorem, Burgundionibus ducem praeponere, eique, ut Burgundionum animos sibi reconciliet, Bertharii, quondam Maioris domus, viduam, Warattonis filiam, uxorem adiungebat; alterum Grimoaldum, defuncto Nortberto, Neuftrafiorum Maiorem domus constituebat filiamque Radbodi, Frisionum ducis, ei in matrimonium dabit⁴⁾. Sicuti vero hoc modo eorum ex Neuftrafiis, qui Bertharii partes secuti erant, inveteratum contra Pippinum odium quodammodo compescebatur, ita Radbodus, quo nullus Francis periculosior unquam fuerat inimicus, nunc Pippino amicus et populo quasi socius efficiebatur. Quod igitur Pippino potestatem, idem Francis pacem et salutem comparabat atque confirmabat. Et hoc erat iam senescentis certissimum solatium, quod duos relinqueret filios potestatis suae si non haeredes, successores certe. Aliter tamen visum est fortunae, quam Pippino; uterque enim filius, in quos non modo pater, sed optimus quisque Francorum spem suam posuerat, patri adhuc supersiti immatura morte eripiebantur; ⁵⁾ et Grimoaldus ita, ut mortis ipsa ratio patrem summo dolore percuteret. Interficiebatur enim perfido modo ad patrem mala valetudine laborantem profecturus ⁶⁾, et etiam si senile pectus filii praematuram mortem perferre posset, propterea tamen Pippinus in intimo pectore vehementissime com-

movebatur, quod, quantum Francorum benevolentiae, quam sibi suisque comparasse opinabatur, tribuendum sit, optime filii interitus testari videbatur. Num Pippinus Heristallensis ipsam regalem dignitatem sibi vindicare audere potuisset? — Quod vero defuncto Grimoaldo Pippinus fecit; nisi causae, cur ita fecerit, nimis fere apertae et quasi in promptu essent, vix explicare possemus. Quo enim alio, nisi semel occupatae potestatis posteris suis conservandae desiderio permotus, Pippinus infantem nepotem, Theodoaldum, eumque spurium, Neustrasiorum Maiorem domus constituebat? — Quod quantopere cum omnino a gentis Francorum indole, tum praecipue a Maioris domus muneris, quod tunc regum unicum quasi adminiculum erat, natura abhorruerit, nemo non videt. Neque fieri potuit, quin Pippinus, qui quatuor regibus regnantibus⁸⁾ civitati pacem et salutem, regibus tutelam, sibi gloriam comparaverat, post longam multi laboris annorum seriem, regnum Francorum tamen novae perturbationi novisque discordiis relinqueret,⁹⁾ quae genti Pippinorum interitum, civitati Francorum exitium parassent, nisi pristina Pippinorum virtus in Carolo, spurio Pippini Heristallensis filio, qui posthac Martelli cognomine appellatus est, denuo viguerit atque revixerit.

§. 2.

Quodsi Francis Merovingorum infantia atque imbecillitas, quam propterea tantum perferendam opinabantur, quod regnum huius stirpis antiquitate sua quasi sancitum et firmatum videbatur esse, iam satis molesta erat, multo sane molestior eius ministerialis impotentia viriumque tenuitas iis esse oportebat, cuius potestas atque auctoritas non, nisi corporis fortitudine animique vigore comparata et aucta fuerat. Idque merito. Merovingorum enim imbecillitas adhuc Maiorum domus virtute quasi sustentata fuerat; quis vero nunc Maioris domus infantiam sustentare et regere poterat? Quod Merovingis praesidium, uno Maioris domus praesidio sublato, relinquebatur? — Quamvis enim Plectrudis, Pippini superstites coniux, nepotis Theodoaldi tutelam et cum hac tutela Maioris domus vices quasi suscipere conaretur, praeteritorum recordatio tamen Francos satis edocebat, quantam civitati perniciem, quantam Merovingorum genti ignominiam muliebri regimen attulerit. Quamobrem non difficile est explicatu, quid defuncto Pippino Heristallensi Neustrasios permoverit, contra Theodoaldum eosque, qui fortasse gentis Pippinianae virtute et grata quadam paternae gloriae recordatione ducti, Theodoaldum tuebantur, ar-

ma capere, eumque cum amicis „in Cotia silva“ devictum si non vita, Maioris domus dignitate certe privare.¹⁾ Theodoaldi infantia enim optimam praebebat Neufraisiis opportunitatem, reconditum adhuc contra Pippinos odium expromere. Deleta autem gente Pippiniana, nihil antiquius putabant, quam cladem et ignominiam ad Textriciam, Pippino duce, ab Aufrasiis acceptam vindicare atque reparare. At, ne duce destituti temere et inconsulto novas sibi calamitates ipsi compararent, Raginfridum Maiorem domus sibi eligebant, qui, Dagoberto III defuncto, Neufraisiis consentientibus Danielelem, clericum quendam, ut referunt Annales, regia dignitate ornabat, eumque, ut nomine certe Merovingorum genti cognatus esse videretur, Chilpericum (II) appellabat.²⁾ Simul Radbodum olim, cladis a Pippino acceptae, nunc vindictae socium et participem, foedere sibi adiungebant.³⁾ Ita igitur Aufrasiis satis magnum instabat periculum, quod etiamsi naturali et quasi propria fortitudine facile avertere potuissent, quanto magis tamen dux desiderabatur, tanto vehementius urgere videbatur. In tanto vero discrimine, cum Neufraisi iam ad Mosam usque fluvium proruperant, novus Aufrasiis libertatis fere perditae vindex, fortissimus dux praeter omnium spem et expectationem apparebat. Erat is filius Pippini Heristallensis, Carolus, qui a noverca, Plectrude, adhuc in vinculis retentus, denique salvus evasit et ad paternas sedes reversus demissos iam Aufrasiarum animos ad novas salutis spes erigebat.⁴⁾ Qualis enim in rebus prosperis moderatio, in adversis constantia, qualis in republica administranda prudentia, in bellis gerendis fortitudo Pippino Heristallensi fuerat, talis nunc iterum in Carolo eluxit et paterna quaeque virtus cum filio quasi revixisse videbatur. Quamvis enim ab initio Aufrasi Carolus duce si non cum adversa, dubia certe et ambigua fortuna contra Neufraios pugnasse videntur,⁵⁾ victores tamen ad Amblavam⁶⁾ et ad Vinciacum⁷⁾ omni laude dignissimi exstiterunt, et sicuti olim Pippinus post proelium Textriciense, ita nunc post pugnam Vinciacensem Carolus totius fere regni Francorum imperium obtinebat.⁸⁾ Quodsi Caroli conditionem cum ea comparaverimus, quae Maiori domus tempore Pippini Heristallensis fuerat, facile reperiemus, inter utramque fere nihil interesse. Carolus enim erat ex gente Pippiniana, erat totius regni Maior domus, tenebat summum exercitus imperium, ad vitae usque finem munere susceptoungebatur et, quod erat novum potestatis incrementum, Neufraisiis non suum ipsorum Maiorem domus, ut olim Pippinus Nortbertum, praeponebat, sed solus omnia administrabat. Raginfrido enim, qui

veterem dignitatem sibi reparare cuperet, Carolus nihil, nisi Comitatum quendam concessit.⁹⁾ Intellexisse videtur, quanti momenti sit haec quasi Monarchia, quae, ut mihi videtur, ei permisit, ut defuncto Theodorico IV regem non restitueret. Attamen ab initio sine rege eam potestatem sibi vindicare non audebat, quae nihil, nisi regalis dignitatis adminiculum erat, et propterea Chlotharium (IV) sibi regem eligebat.¹⁰⁾ Quo mox defuncto Chilperico, qui cum Raginfrido ad Eudonem, Ducem Aquitaniae, confugerat, regalem sedem concessit. Post proelium Vinciacense nimirum Raginfridus et Chilpericus cum Eudone, qui Francorum imperio se subdlexerat, foedus contra Carolum inierant. Qui quamquam a Chilperico regnum et munera acceperat, Carolo tamen resistere non poterat, sed ne inuito quidem cum Carolo certamine, simul cum Chilperico et Raginfredo fugae se mandabat. Carolus autem ab Eudone postulabat, ut Chilpericus sibi traderetur, cui nomen regale permisit.¹¹⁾ Chilpericum vero mox secutus est Theodoricus IV. Postquam igitur fortitudine sua¹²⁾ summam fere potestatem Carolus assecutus fuisse videbatur, maximo haud dubie, quominus ad ultimum ipsum potestatis fastigium pervenire posset, impedimento ei erant naturales illae et inveteratae Neustrasios inter et Austrasios dissensiones, quae proelio Vinciacensi non modo denuo excitatae, sed etiam auctae fuerant. Nam nisi mox in concordiam et animorum illam consensionem fuerint commutatae, quae periculis instantibus inter ipsos inimicissimos plerumque efficitur, vehementer dubitarem, an Maiori domus unquam contigerit, Francorum regno potiri. Erat vero hoc periculum, quod nunc Francorum animos, Carolo duce, ad concordiam consociabat, subita Sarracenorum in Francorum fines irruptio. Satis notum est, quomodo in Hispaniam proruperint Sarraceni et Hispaniae fines transgressi fuerint,¹³⁾ quomodo Eudo, qui Caroli, Maioris domus, imperium aequo animo perferre noluit, foedus cum Munuza, duce quodam Sarracenorum, inierit,¹⁴⁾ et ita Abderramanis iram non modo sibi, sed etiam Francis paraverit. Abderraman autem in Aquitaniam invadens, omnium animis propterea praecipue summum terrorem iniiciebat, quod Christianorum templa et monasteria praecipue destruebat,¹⁵⁾ non ignorans, quanta sit apud Christi cultores horum locorum reverentia, quantaque ibi lateant opes et divitiae. Arduum igitur et gravissimum de Europae salute instabat certamen, quod, nisi Carolo duce, Franci fortasse inire ne ausi quidem fuerint. Carolus vero, consociatis totius regni copiis, non modo suscepit certamen, sed etiam victor inde maximam sibi suisque

reportavit gloriam. Vicit ad Pictavam urbem, ¹⁶⁾ vicit ad flumen Birram, ¹⁷⁾ oppressit Maurontum, ¹⁸⁾ et ultima ipsa Sarracenorum vestigia fortiter delevit. At ne quid dicam de Caroli Martelli ¹⁹⁾ fortitudine et Francorum constantia, maximum sine dubio commodum ex his in Maiorem domus redundabat. Nam primum quidem Austrasii et Neustrasii unum eundemque Maiorem domus ducem secuti erant, unum omnium fuerat periculum, idem certamen, una victoria, et bellum intestinum hac contra Sarracenos expeditione fiebatur. Deinde vero Francorum animi a rebus domesticis ad externas convertebantur, quod Maiori domus optimam potestatis Francis vix sentientibus augendae et amplificandae opportunitatem praebebat. Tertio denique insignis et egregia Caroli Martelli virtus, quae adhuc nihil, nisi terrorem finitimis gentibus et ipsis Neustrasiis iniecerat, nunc iisdem salutem comparaverat, ita, ut ad remotissimas usque nationes denuo Francorum fama propagaretur. Itaque non mirari oportet, Gregorium III, qui iam prius Bonifacium, Christum praedicaturum, Caroli Martelli tutelae commendaverat, ²⁰⁾ nunc ipsum Caroli amicitiam et Francorum auxilium contra Luitbrandum, Regem Longobardorum, implorasse, et ita Francorum Maioris domus tutelae ecclesiam Romanam commisisse. ²¹⁾ Quod propterea maximi erat momenti, quod posthac Pippinus et Carolus Magnus hac nova Maiorem domus inter et Romanorum Episcopum necessitudine ille ad regalem, hic ad imperatoriam dignitatem sibi vindicandam prudenter utebantur. Attamen Carolus non tantum Clericorum et Monachorum favori tribuisse videtur, quantum ipsius pater Pippinus. ²²⁾ Displicebat sine dubio forti ingenio molle illud et otiosum Monachorum vitae degendae genus, neque eam, quam saeculi superstitio, sanctitatem Clericis tribuisse videtur. Intelligebat enim, militum suorum fortitudinem maius fidei Christianae commodum et firmiter praesidium parasse, quam Clericorum simulatam illam pietatem, et Monachorum fuitiles preces et vota inepta. — Devictis vero Sarracenis maxima Caroli cura in eo versabatur, ut restituenda disciplina filiis regnum conservaret, quod consentientibus Francis ipse inter filios legitimum velut patrimonium, „aequa lance“ dividebat. ²³⁾ De Merovingis iam tunc Franci ipsi vix cogitasse videntur; Theodorico IV enim defuncto nemo regem ex Merovingorum gente desiderabat et Carolus Martellus filiis, Maioribus domus, regnum sine rege regnandum reliquit. ²⁴⁾ Quid enim illi facere non liceat, qui omnium animis sui admirationem iniecit? —

§. 3.

Nemo negabit, talem Carolo Martello fuisse conditionem, ut, modo voluerit, ad regiam potestatem etiam regale nomen facile sibi proprium vindicare potuerit. Quod cur non fecerit, si quaerimus, praecipua causa fortasse in eo posita erat, quod Carolus ad finem fere usque vitae ita rerum externarum cura occupatus fuerat, ut de domesticarum statu permutando vix cogitare posset. Carolomanni tamen et Pippini longe alia et magis quasi ambigua erat conditio. Nam id, quod ad regnum occupandum necessarium erat, unius summum imperium, nova regni divisione denuo quasi interpellabatur. Accedebat, quod Carolus Gripponi, filio ipsius spurio, ex Sonihilde, quam captivam e Baiuvaria secum deduxerat, nato, matre incitante regni quandam partem Francis ipsis invitis concesserat,¹⁾ quod fratribus permultas molestias creabat. Porro omnes finitimae gentes, quas Carolus subiugaverat, ipso defuncto libertatem sibi restituere conabantur, et Maiores domus in tanto rerum discrimine sine rege omnia administrare et peragere non audebant. Quamobrem regem eligebant Childericum (III), qui utrum ex Merovingorum gente fuerit, et unde venerit, equidem ne coniectura quidem accuratius definire ausim.²⁾ Nec multum interest; nam sufficiebat Maioribus domus populi opinio, Childericum a Meroveo originem duxisse; erat scilicet huius opinionis eadem vis, atque veritatis ipsius. Neque diminuebatur novo rege Maiorum domus auctoritas. Iteratis enim expeditionibus contra Alemannos, Saxones, Wascones et Hunoldum, ducem Aquitaniae, non sine prospero successu pugnabat.³⁾ Difficillimum vero Maioribus domus certamen contra ipsorum fratrem et sororem Baiuvariosque suscipiendum erat. Nam Grippo Francis auctoribus ex ea regni parte, quam Carolus pater ei concesserat, expulsus, fratrum arbitrio se subiicere cogebatur;⁴⁾ Chiltrudis contra fratribus invitis ad Ogdilonem, Ducem Baiuvariorum, confugiebat, qui postquam eam coniugio sibi adiunxerat, Francorum imperio se subducere conabatur; victus tamen fugae, ultimae quippe salutis, sese mandabat.⁵⁾ Maioris etiam momenti erat Carlomanni regni abdicatio.⁶⁾ Cuius quae fuerint causae, nemo scriptorum memoriae prodidit; fortasse Carlomannus post tantas vitae vicissitudines tantosque bellicos labores in monasterii latebris animi nimis conturbati quoddam solatium vel otium illud honestum quaesivit, quod magni potius et fortis, quam parvi et exigui animi testimonium est; neque frater, Pippinus, repugnasse videtur, cui nunc

alter frater, Grippo, solus aemulus et adversarius erat. Parricidium vero Pippini virtus non minus respuebat, quam salus civitatis regni sui incolumitatem flagitare videbatur. Quapropter fratrem liberatum opibus locupletabat, honoribus ornabat.⁷⁾ At hic iis, quae a fratre acceperat, non contentus, coacto satis frequenti populo, primum in Saxonia,⁸⁾ deinde in Baiuaria⁹⁾ seditiones ad imperium sibi vindicandum movebat. Inde redux factus et denuo maioribus opibus a Pippino locupletatus, nihilominus tamen iterum ad Walfarium,¹⁰⁾ ducem Aquitaniae, confugiebat et inde tandem ad Aistulfum, Longobardorum regem, profecturus in proelio quodam interficitur.¹¹⁾ Quod quamquam primo demum regni Pippini anno evenit, iam prius tamen Pippinus Francorum sibi reconciliatae fiduciae plus tribuere posse putabat, quam fratris intempestivae audaciae. Illa enim firmissimum contra hanc praesidium erat. Praeterea Pippinus omnes finitimas gentes sensim sensimque Francorum imperio denuo subiecerat; et intestina Francorum concordia illam civitati duorum annorum quietem parabat, quae Pippino ex iis, quae tum pater et maiores, tum ipse egerat, summos et quasi extremos fructus reportare licebat. Quanto vero ita propior et quasi coniunctior Maior domus Francis, tanto remotiores necessario et alieniores Franci ipsi a Merovingis fiebant. Childerici III enim imbecillitas atque inertia nimis a Pippini III virtute atque vigore distabat, neque opportunius ad ultimam ipsam Merovingorum recordationem e Francorum animis plane delendam tempus unquam apparere potuit. Quid enim nunc Maiori domus, praeter Francorum benevolentiam et fiduciam, ad regnum sibi vindicandum opus erat? Num apostolica illa, quam vocant scriptores, auctoritas?

§. 4.

Plerumque enim et ab antiquioribus et a recentioribus historiae Francorum scriptoribus narratur, Pippinum, priusquam avita Merovingorum sede potiri ausus sit, legatos ad Zachariam, Romanorum tunc Episcopum, misisse de quaestione, „utrum is, qui in Francorum regno omnia et administrat et peragat, an is, qui nec de civitate administranda, nec de bellis gerendis sollicitus in villis mollem et otiosam vitam ducat, merito rex Francorum haberi et appellari possit.“ Qua de quaestione hanc Zachariam dixisse sententiam, ei iure meritoque regis nomen et dignitatem esse concedendam, qui iam dudum omnia regis negotia et officia obiisset. Hoc igitur responso relato, Francos, ex more

maiorum, in publico concilio Pippinum III regem sibi elegisse, Childericum III vero simul cum filio in monasterium relegasse. Recentiori tamen tempore non defuerunt, qui de illa ad Zachariam missa legatione dubitationes non leves moverent.¹⁾ Nobis autem, si quid veri vel potius verisimilis invenire velimus, id agendum erit, ut videamus, quid de hac re veteres scriptores referant, et quid comparatis inter se diversis scriptorum sententiis — omnis enim dubitatio ex hac ipsa sententiarum et narrationis diversitate enata est — veritati proxime accedere videatur. Quod dum conamur facere, reperiemus, praeter ea, quae non tam ad rem ipsam, quam ad propriam cuiusque scriptoris narrandi rationem pertineant, duo potissimum esse, quibus differant scriptores. Differunt enim primum de tempore, quo legati ad Episcopum Romanum missi fuerint, deinde de nomine illius Episcopi. Habet res propterea sane magnam difficultatem, quod omnes fere scriptores, qui hac de legatione aliquid referunt, Carolo Magno demum et Ludovico Pio regnantibus vixerunt, et quo quis propior Pippino vixisse videtur, eo incertior magisque ambigua eius est narratio.

Quod igitur primum ad tempus pertinet, alii anno 749 legatos ad Episcopum Romanum missos fuisse et a. 750 Pippinum regalem sedem occupasse, alii, qui de legatione plerumque nihil referunt, anno 751 Pippinum nomen regium sibi vindicasse narraverunt, alii denique legationis annum 751, electionis 752 nominant. Superfluum fere et plane incassum videatur esse, de talibus longas disquisitiones instituire velle, quippe in quibus quantum merae casus temeritati, quantum scriptorum et liberariorum errori et negligentiae tribuendum sit, cuique notissimum sit. Attamen, ut quam brevissime de his, quid equidem sentiam, exponam, annum 752 propterea mihi maxime probandum esse videtur, quod, quomodo ex hoc ceterorum chronologia oriri poterit, facilius est explicatu, quam ex illis hoc deducere. Annum enim 750 ii ex scriptoribus nominasse videntur, qui ex memoria praeteritorum temporum facinora recolligentes non tam veritatem ipsam accurate sectasse, quam id, quod memoriae maxime in promptu fuerit, modo a veritate non nimis abhorruerit, posteritati tradendum putaverint. Quod vero hi legationem anno proximo antecedente missam fuisse putarunt, (749) hoc cum omnino ex re ipsa, tum inde praecipue explicari potest, quod Burchardus, Episcopus Wirtziburgensis, qui legationis particeps fuisse dicitur, iam a. 748 Romam ad Zachariam venisse fertur.²⁾ Eorum contra error, qui anno 751 Pippinum regem creatum fuisse putarunt, nisi forte librariorum petulantiae tribuendus sit, inde

ortus fuisse videatur, quod hi annum legationis cum anno electionis confundisse videntur. Nam cum Zacharias iam mense Martio anni 752 mortuus esset, seriores legationem ad eum anno 751 missam fuisse haud inepte opinati sunt.³⁾ Itaque vix dubium erit, quin anno 752 Pippinus rex Francorum constitutus fuerit.

Sin vero quaerimus, quis fuerit ille Episcopus Romanus, ad quem missi fuerint legati, in duas iterum partes scriptores abeunt. Alteri enim Zachariam, alteri Stephanum⁴⁾ nominant. Ii vero, qui Stephani III auctoritate Pippinum Regem electum fuisse narraverunt, solum Eginhardum secuti fuisse videntur, quem, si omnino vera haberi potest illa legatio, memoria lapsum fuisse, nemo rei peritus negabit.⁵⁾ Satis enim notum est, quod ab omnibus scriptoribus comprobatur, Stephanum III ipsum anno demum 753 in Franciam ad Pippinum venisse, Francorum auxilium contra Longobardos petentem, ibique benigne et honorifice a Pippino receptum non modo Pippinum, sed etiam eius filios sacro chrismate Reges unxisse, illum quidem, ut denuo regalis dignitas ei confirmaretur, hos, ut paterni regni haeredes et successores iam nunc quasi designarentur.⁶⁾ Hanc igitur iteratam Pippini inunctionem in mente habuisse videtur Eginhardus, eum auctoritate Stephani regem factum fuisse affirmans. Quod vero omnes veteres et medii aevi scriptores haud parum saepe in satis graves errores induxit, idem Eginhardum nunc fefellisse videtur, illa, inquam, ex sola recordatione praeterita recolligendi consuetudo. Quam quidem consuetudinem Eginhardum nostro loco re vera secutum fuisse, fortasse non male inde concludere liceat, quod sicut ii, qui eum secuti sunt, ita Eginhardus ipse non, nisi in univrsum quasi et sine ulla accuratiori rei expositione de Pippini electione loquitur. Nam neque de Stephani ad Pippinum itinere, neque de inunctione quidquam commemorat, et paulo inferius (l. I. p. 95.) ne nomine quidem Stephani nominato dicit: „*Pippinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Praefecto Palatii Rex constitutus.*“ Attamen si Annales illi, quos Eginhardo tribuit Du Chesnius, re vera ab eo compositi sint, Eginhardus sibi ipse repugnasse videatur.⁷⁾ Ibi enim ad an. 749 et 750 disertis verbis de legatione ad Zachariam eiusque responso, de Pippini unctione per St. Bonifacium deque Childerici relegatione agitur; ad an. 753 et 754 autem, cum Pippinum iam regem electum fuisse constat, Stephanus in Franciam venisse et Pippinum simul cum filiis denuo „*sacra unctione ad regiae dignitatis honorem consecrasset*“ narratur. Quae quomodo iis, quae in Vita

Caroli Magni idem Eginhardus narravit, convenient, equidem non video. Dubium tamen est, an recte Annales illi Eginhardo tribuantur. Repugnant vero etiam Eginhardo ea, quae omnes fere ceteri scriptores referunt. Quod enim recentiores narraſſe ſupra dixi, idem veterum quoque ſcriptorum plurimi alii brevius, ⁸⁾ prolixius ⁹⁾ alii referunt. Zachariam nimirum mandaſſe, ut Pippinus rex Francorum in Childerici et Merovingorum locum ſubſtitueretur, mandatumque St. Bonifacium ita quodammodo exſequutum fuiſſe, ut Pippinum ſacra inunctione ſanciverit. Prolixiores vero non modo haec referunt, ſed etiam eorum, qui legati a Pippino ad Zachariam miſſi fuerint, ipſa nomina accurate nobis ſervarunt. Nam fuiſſe dicuntur hi legati Burgardus, Episcopus Wirtzeburgenſis, et Fulradus Capellanus. Quod quamquam plurimi ex Annaſtiſtis illis ita narraſſerunt, propterea tamen magna cautio adhibenda erit, ne tiſtimoniorum copiae nimium tribuamus, quod ita fere ad verbum alter alterum ſecutus fuiſſe videtur, ut omnium non plus, quam unius, qui primus rem narraſſit, auctoritas valeat. Primus vero, quicumque fuerit, non Pippini ipſius, ſed Caroli Magni vel Ludovici Pii aetate vixiſſe videtur. Itaque recentiores hanc narrationem fictam quippe atque ſuppoſitam, his fere argumentis refutandam putarent. Ac primum quidem dicunt, tale, quale Zacharias tuſiſſe fertur iudicium, ab „*aequitate et ſanctimonia*,” ut ait Natalis Alexander, Romani Pontificis proſus abhorrere, quippe cum iniuſtum et priſtinae diſciplinæ plane repugnans ¹⁰⁾ fuiſſet, Childericum vix viginti annos natum, inſontem et nulla unquam culpa, quae Romanorum Pontifici puniendi poteſtatem faciat, laborantem, legitimo patrimonio privare ad aliosque Merovingorum poteſtatem atque dignitatem deferre. Licet autem equidem non negaverim, quod Anaſtaſius dixit, Zachariam „Virum mitiſſimum, ſuavem omnique bonitate ornatum” fuiſſe, nimium tamen apoſtolicae illi ſanctitati ii tribuiſſe videntur, qui Zachariam hac ipſa ſanctitate prohibituſſe opinati ſunt, quominus Childericum regno paterno privare potuiſſet. Tantis enim tunc rerum anguſtiis Zacharias laborabat, ut non ſola ipſius probitate, non apoſtolica ipſa ſanctitate ſatis ſe ſuamque ſedem firmatam putaret, ſed firmiori ſane atque certiori ei opus eſſet praefidio. Firmiſſimum vero et fortaſſe unicum contra Longobardorum arma praefidium tunc Francorum recreata quaſi virtus erat. Qua ſi uti vellet, Pippini amicitia ei opus erat, quam nulla re facilius et certius ſibi comparare poterat, quam illo reſponſo. — Deinde ita recentiores huius legationis veritatem deſtruere conati ſunt, ut dicant, ineptam plane atque commentitiam

illam quaestionem a senioribus excogitatam fuisse, quam Pippinus Zachariae per legatos proposuisse dicitur: „Utrum is, qui omnia in Francorum regno procuraret atque administraret, an is, qui domi sedeat, nec de administranda nec de defendenda civitate unquam cogitarit, regali nomine dignior sit.“ Idque propterea, quod Eginhardi aliorumque de ultimorum Merovingorum imbecillitate atque impotentia narratiunculae, quibus scilicet adiuti Annaliferae illam quaestionem confinxerint, veritati nequaquam conveniant. Potius odio Merovingorum inductos, ad Carolingorum favorem sibi comparandam, seriores talia confinxisse, neque ultimorum Merovingorum imbecillitatem, si quae fuerit, ipsorum ignaviae atque inertiae, sed infantiae et aetati pupillari tribuendam esse.¹¹⁾ Etiam si vero negari nequeat, Eginhardum aliosque ultimorum Merovingorum calumniatores fortasse nimis severe eorum mores perstrinxisse,¹²⁾ concedendum tamen est, si veritati non plane repugnare velimus, talem sane ultimorum Merovingorum, imprimis Childerici III, conditionem fuisse, qualis Pippino illam quaestionem Romanorum Episcopo diiudicandam proponere licuerit. — Illud vero gravius est et maiorem dubitationis ansam praebet, quod nec Anastasius Bibliothecarius, nec Flodoardus, quorum hic sermone poetico, 'pedestri ille vitam Zachariae conscripserunt, quidquam de hac legatione commemorarunt. Nec minus memorabile est, Zachariam in suis epistolis nunquam usquam hanc rem attigisse. Quibus quidem ex epistolis percipimus, Burgardum anno 748 Romam venisse; neque tamen 749 vel 751 iterum ad Pontificem Romanum missus fuisse dicitur. Pari modo Anastasius in vita Stephani Fulradi eiusque legationum ad Stephanum saepius mentionem fecit, hanc tamen, quae sine dubio gravissima omnium fuerit, ne verbo quidem attigit.¹³⁾ Quod vero ad unctionem per St. Bonifacium pertinet, haec propterea dubia atque incerta esse videtur, quod primum nec Willibaldus, Bonifacii ipsius discipulus, nec Othlonus, qui uterque vitam Bonifacii consignaverunt, ullam eius mentionem fecerunt; deinde nusquam alibi quidquam adnotatur, Bonifacium tunc Augustae Suessionum, ubi Pippinus unctus fuisse dicitur, commemoratum esse.¹⁴⁾ Atque re vera nonnulli scriptores nec de Fulrado et Burgardo, nec de Bonifacio quidquam commemorarunt, sed non, nisi in universum Pippini electionem adnotarunt.¹⁵⁾ Sin vero continuatoris Fredegarii testimonium¹⁶⁾ genuinum haberi possit,¹⁷⁾ nemini, puto, amplius dubium esset, quin illa legatio ad Romanum Episcopum a Pippino missa fuerit. Attamen non defuerunt, qui de huius quoque testimonii integritate admodum dubitarent. Inter hos praecipue Carolus le Cointe, Natalis Alexander et Gerardus

dei Bois illum Fredegarii locum interpolando depravatam fuisse putarunt, quorum prior quidem eum ita restituendum censet¹⁸⁾: „Quievit terra a proeliis annis duobus. Quo tempore praecelsus Pippinus electione totius Francia in sedem Regni una cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in Regno,“ deletis quidem primum verbis: „una cum consilio et consensu omnium Francorum missa relatione a sede Apostolica auctoritate percepta“, et deinde: „cum consecratione Episcoporum et subiectione Principum.“ Quamquam argumenta, cur ita restituendum putaverit locum Cointus, non modo satis gravia, sed ne recta quidem mihi esse videntur. Dicit enim, primum propterea illa verba delenda esse, quia sequentia eundem fere sensum praebent; ¹⁹⁾ deinde verba: „et subiectione principum“, hanc ob causam, quod vox Principis ab illo auctore non, nisi de Maioribus domus fuerit usurpata. Attamen, haud scio, an recte observarim, medii aevi scriptores saepius sine ullo sensus incremento et paene inepte verborum ambages cumulasse; ad alterum vero quod pertinet, etsi ille Chronicorum Fredegarii Continuator verbum Principis non, nisi de Maiore domus usurpet, nihil tamen mediae latinitati solennius est, quam civitatis optimates Principes vocare. Atque eum, qui interpolaverit hunc locum, omnia, quibus appareat interpolationis fraus, sedulo vitasse putaverim. Tota de huius loci integritate disquisitio, ex mea quidem sententia, ad codicum Mss. auctoritatem revocanda esse videtur ²⁰⁾, quam quum propter critici, quem vocant, apparatus inopiam, equidem nescio, contra hunc locum vix plus et gravius quid monere auserim, quam quod omnino contra illam de Pippini electione narrationem moneri potest, vel vero etiam debet. Potius in iis Annalium libris interpolationis quoddam vestigium exflare videatur, qui postquam ad an. 749 legationem ad Zachariam eiusque ad propositam quaestionem responsum commemorarunt, ita ad annum 750 pergunt: „Pippinus secundum morem Francorum electus ad regem [et unctus per manus sanctae memoriae Bonifacii Episcopi] et elevatus a Francis in Regno in Sueslionis civitate.“ ²¹⁾ Repugnare enim videntur inter se, quae ad an. 749 et ad an. 750 narrantur. Satis recte igitur, puto, ii, qui nec plane probandam, nec temere reiiciendam putarunt hanc de Pippini iussu Pontificis Romani electione narrationem, mediam quandam viam tenuerunt, opinantes, Pippinum non tam iussu, quam consilio tantum Zachariae, non tam imperante, quam approbante tantum Romanorum Episcopo, Regem Francorum fuisse electum; seriores tamen id, quod non, nisi approbante Zacharia factum fuerit,

eius iussu factum fuisse putasse, et ita totam hanc rem tanquam veram novis commentis auxisse atque exornasse²²).

Quodsi Continuatoris Fredegarii testimonium, quod equidem omnium vetustissimum et propterea certissimum habuerim, serius interpolando depravatum sit, hoc sine dubio tempore et auctoritate ipsa Carolingorum, fortasse iam Carolo Magno auctore, factum fuisse contenderim. Nonne cogitari certe potest, Carolum, antequam anno 800 a Leone III corona imperatoria, praeter omnium, ut videbatur, spem et expectationem, ornabatur, cum Pontifice Romano clam de eo convenisse, ut, si qui fortasse de Leonis coronandi iure et potestate dubitationes moveant, in illa iussu Zachariae facta Pippini inunctione quoddam quasi praesidium quaerant? — Fredegarii tamen ille locus semel interpolatus senioribus Annalisticis facile, inepte quidem comparata et male fortasse adhibita temporum ratione, eam, quam plurimi veram nunc putarunt de Pippini electione narratiunculam excogitandi ansam praebere poterat. Ita Fulradi et Burgardi legatio, Zachariae responsum, St. Bonifacii inunctio oriri potuerit. Res per se altioris est indaginis, quam cui nunc accuratiorem navare possim operam. At si temporum rationem perpendimus, fatendum sane est, Pippino ad nomen regium sibi vindicandum auctoritate illa apostolica vix opus fuisse. Nam Zachariae confirmatio nihil, nisi inane quoddam et superfluum potestatis iam fere occupatae fuerit praesidium. Caput enim et principium rei erat Francorum consensus, et quamquam Bonifacius in fide christiana praedicanda supremam Romani Pontificis auctoritatem praecipue commendaverat, vix tamen probabile est, eius sententiam iam tunc in Francorum animos tantam vim exercuisse. Porro maximum est dubium, an Childerico filius, nomine Theoderici, re vera fuerit. Omnium enim scriptorum, quorum libros comparare mihi licuit, unus Chronicorum Fontanellensium auctor huius filii Childerici III mentionem fecit, cuius quidem auctoritas propterea non satis gravis esse videatur, quod Ludovico Pio demum regnante vixit²³). Deficiente enim prole morte Childerici Merovingorum stirps per se interiisset; et propterea sine ullo dubio melius erat, Childerico ipso adhuc vivente, eum in regalem sedem substituere, qui non dignissimus modo, sed aptissimus quoque esse videbatur, quam deinde in novo rege eligendo nova partium contentione Francorum discordias instaurare. Quaecunque vero fuerit Pippinum in Childerici locum substituendi ratio et via, ad nostram rem illustrandam fere nihil facere potest, quippe cui

satisfecisse videamur, si demonstravimus, quomodo sensim sensimque illa Maiorem domus in Merovingorum locum substituendi necessitas in Francorum civitate orta fuerit, et Pippinum III a. 752 re vera regno Francorum fuisse potitum²⁴). Ceterum illud de legatione ad Zachariam eiusque responso commentum, si quod est, non, nisi propterea quoddam momentum et historicam quandam quasi notionem habere potest, quod posteritatis de huius rei veritate opinione seriori aetate Pontifices Romani imprimisque Gregorius VII²⁵) ad augendam et amplificandam sedis apostolicae potestatem abutebantur²⁶). —

§. 5.

Itaque de arte et ratione, qua Maior domus eo pervenerit, ut saeculo octavo regno Francorum potiri potuerit, quaerentibus, breviter haec fere respondenda censeo: Maiori domus ab ipso initio necessario talis fuit conditio, qualis ei civitatis Francorum rationes et statum quasi internum optime cognoscere licuerit. Gentis vero et civitatis vicissitudinibus adiutus hic ministerialis tantam sibi inter Francos potestatem et auctoritatem vindicabat, ut deficiente a pristina virtute gente Merovingorum, sicuti Regi, ita Francis ipsis quaedam necessitas oriretur, artiori se necessitudinis vinculo cum Maiori domus coniungendi. Ita Regis loco dux Francorum constituebatur et id, quod firmissimum civitatis praesidium erat, exercitum, nunc non ad civitatis solius, sed ad suam ipsius quoque potestatem tuendam atque amplificandam optimo cum successu Maior domus adhibere poterat. Deinceps Franci Maiori domus multa ex eis iuribus concedere coacti erant, quae prius ad regem tantum pertinerant. Quo maiore vero Maior domus potestatis capiebat incrementa, eo magis necessario Merovingorum diminuebatur auctoritas. Prorogabatur Maiori domus muneris ab initio anniversaria administratio; hereditatis quasi ius Pippini, Francis vix reluctantibus, tanquam proprium sibi vindicabant; quo quidem ex iure hereditatis semel assecuto iura multa alia non poterant non consequi. Quod eam deinde hic ministerialis assecutus est, id tum ex temporum rationibus atque vicissitudine, tum ex singulorum Maiorum domus cum prudentia et moderatione coniuncta virtute apte explicari potest. Nam Maiori domus ad regalem dignitatem sibi vindicandam cum regis Francorum in unum, tum praecipue Merovingorum incerta atque ambigua conditio, non minus, quam Austrasiorum et Neustrasiorum discordiae, et Sarracenorum incognitas invasiones necessariae erant. Ul-

timum vero et summum quasi potestatis adiumentum erat illa omnium Francorum uno Maiore domus duce coniunctio, quae quidem a Carolo inchoata, a Pippino III magis magisque firmabatur. Apostolica contra illa auctoritate sive ad regnum occupatum confirmandum, sive ad periurii in Merovingos commissi crimen tollendum²⁾, Carolingis imprimisque Pippino III opus fuisse, equidem vix ae ne vix quidem contenderim.

§. 6.

Conclusio.

Ita igitur ea stirps ad regnum Francorum pervenit, quae summum virtutis et gloriae fastigium in Carolo illo Magno, nominis Carolingorum quasi auctore, assecuta est. Atque si civitatis Francorum rationes et conditionem consideramus, nihil sane Francis opportunius, nihil utilius, nihil denique magis necessarium erat, quam Merovingorum interitus et regnum Carolingorum. Pippinus III enim erat consensionis et concordiae Francorum auctor et conservator novamque eorum virtuti atque certiore ad salutem perveniendi viam aperiebat monstrabatque. Fieri autem non potuisset, quia infirma et debilitata Merovingorum gens mox ad interitum corruerit, et nisi tunc Pippinorum virtus tam praeclare eluxerit, Franci vel a finitimis gentibus, quae eorum imperio se subducere iam dudum conatae erant, facile subingari potuissent; vel intestinis bellis se ipsos invicem ad interitum usque contriverint; ita, ut simul cum Merovingorum interitu Franci non modo gloriam, sed honorem, non honorem modo, sed libertatem, non modo libertatem, sed fortasse nomen ipsum Francorum amisissent. Num gens Merovingorum unicum virtutis Francorum atque gloriae adminiculum erat? num firmiter civitati praesidium pristinae Merovingorum virtutis recordatio erat, quam recens quasi nata et temporum vicissitudine confirmata et comprobata Carolingorum fortitudo? Haec fortitudo enim gloriam, honorem, libertatem et avitum ipsum nomen Francorum non modo reparavit Francis, sed auxit atque amplificavit.

Tantum igitur adest, ut Merovingorum interitus eam nobis misericordiam atque dolorem in animos iniicias, quem stirpis regalis interitus in optimi cuiusque pectore plerumque procreare solet, ut magno et iusto gaudio repleamur, novos e gente Pippinorum civitati Francorum auctores quasi

statoresque existisse. Atque ipsa via et ratio, qua ad regnum pervenerunt Carolingi, non talis erat, qualis haud raro eorum, qui gentis cuiusdam regnum temporum ratione adiuti sibi vindicarunt, etsi praeclaram per se virtutem atque insignem prudentiam maculis tamen inquinavit. Nam neque armorum vi et crudelitate, neque dolo malisque artibus, neque principum favore et aura illa populari Pippinus III Francorum regnum sibi comparavit, sed vera virtute, honesta prudentia, insigni moderatione, ita quidem, ut nemini Francorum tunc honestius quidquam vel consultius esse videretur, quam Carolingorum imperio obtemperare. Sin vero Regis Francorum conditionem per se respicimus, nunc sane longe alia eaque certior erat, quam tempore Merovingorum fuerat. Nam si primum utriusque fundamentum atque principium comparaverimus inter se, facile inveniemus Merovingorum potestatem in consuetudine magis, quam necessitate positam fuisse¹⁾, Carolingorum contra regnum non modo necessitate conditum, verum etiam temporum vicissitudine fuisse confirmatum atque stabilitum. Deinde Merovingi cum avitis iuribus sensim sensimque et praecipue ex eo inde tempore, quo fines regni propagaverant Franci, in novam implicabantur conditionem, quae etsi non plane repugnans esset illis, quae dixi, avitis iuribus, neutiquam tamen eodem modo eis conveniebat, ac pristina et prima regis Francorum conditio. Quae quantopere Francorum ad fidem Christianam conversione, nova civitatis administrandae forma et ratione, novis cum aliis gentibus initis foederibus et inde enatis necessitudinibus, novis denique et prius Francis prorsus ignotis regi tributis honoribus fuerit immutata, nemo ignorat. Carolingorum contra regnum ex temporum ratione enatum et, ut ita dicam, historia Francorum ipsorum ita quasi fuerat enutritum, ut per se satis firmum nulla fere immutationi obnoxium esse videretur. Nam Francorum ipsorum sentiendi rationem et mores iis, quae per tria illa saecula a Chlodoveo Magno usque ad Pippinum III evenerant, admodum fuisse commutatos, inde iam satis recte concludi posse putaverim, quod illo tempore magis magisque se proprie excolebant. (*Es war die eigentliche Zeit ihrer politischen und volksthümlichen Entwicklung.*) Atque illud pristinae libertatis studium, quod regali potestati inde a Chlodovei temporibus maxime adversabatur, nunc aliis novis cupiditatibus superatum e Francorum animis evanuisse videtur. Entellexerant enim, nihil civitati esse salubrius, quam unius virtute atque prudentia praediti principis imperium. — Itaque Pippine semel rege nihil magis ad

comparatam potestatem sibi suisque conservandam spectandum fuisse putaverim, quam Sallustianum illud: „*Imperium facile eis artibus retineri, quibus initio partum fuerit*“²). Atque spectavit hoc sine dubio Pippinus Rex Francorum. Bellis enim cum exteris gentibus fortiter feliciterque gerendis et civitate prudenter et moderate administranda eam sibi suisque comparavit gloriam, cuius memoria integra et illibata ad ultimam ipsam usque posteritatem permanabit atque propagabitur. —

ANNOTATIO.

INTRODUCTIO.

§. 2.

1) Huius operis tomi tres priores maximam partem eos continent scriptores, qui partim ipsi Merovingorum aetate vixerunt, partim de gestis et factis Francorum sub illa prima regali stirpe scripserunt.

2) Corpus Francicae historiae veteris et sincerae. Hanoviae 1613. fol.

3) Annalium et historiae Francorum ab anno Christi 708 ad annum 990 scriptores coaetanei XII. Francofurt. 1594. 8.

4) Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores. Paris. Tom. I — XI. 1732 — 1767. fol.; quo tamen opere me uti non potuisse, admodum doleo. —

5) Capitularia Regum Francorum. Additae sunt Marculfi Monachi et aliorum formulae veteres ect. *Stephanus Baluzius Tutelensis* in unum collegit. Parisiis 1677. Tom. I et II. Denuo edita a *Petro de Chiniac*. Parisiis 1780. Inveniuntur quoque haec capitularia in *Canciani* collectione Vol. III p. 127 sqq. —

6) Barbarorum leges antiquae ect. ect. Volum. I — V. Venetiis 1781 — 1792. fol.

7) Leges Francorum Salicae et Ripuariorum cum additionibus Regum et Imperatorum variis ect. Francofurti et Lipsiae 1720. *Eccardi* legis Salicae interpretationem *Canciani* quoque recepit. Vol. II. p. 9. sqq. —

§. 3.

1) Obiit Gregorius Turonensis saeculo sexto exeunte circa annum 595, Guntramno quidem regnante. —

2) Exempli causa conferantur haec Gregorii loca, lib. 5, c. 35. et lib. 8, c. 14.

3) Cfr. Greg. Tur. 3, 28. 5, 34., ubi incredibilia multa cumulantur.

4) Huius rei cum multa alia interna, tum hoc praecipue luculentissimum externum extat testimonium, quod inscriptiones librorum Gregorii, admodum inter se differunt, ita, ut

alius codex aliam fere semper praebet inscriptionem. Quapropter haud scio, an vera sit *Andreas du Chesnii* sententia, qui de codice *Guidonis Loiselii* differens haec subiungit: „Habet praeterea eiusmodi titulum: *Georgii Florentii Gregorii Episcopi Turonensis historia ecclesiastica*. Quam quidem veram et genuinam esse operis inscriptionem facile mihi persuadeo, tum quod auctor in eo multo plura de rebus Francorum ecclesiasticis, quam de militaribus aut civilibus referat, tum quod Beda Presbyter suam quoque gentis Anglorum historiam simili de causa Ecclesiasticam postea appellaverit.“ Cfr. *Du Chesne script. coaet. I, p. 252.* —

§. 4.

1) Huc pertinent Gregorii ipsius in praefatione (*Du Chesne I. p. 258*) haec verba: „Sed prius veniam a legentibus precor, si aut in litteris, aut in syllabis grammaticam artem excessero, de qua adplene non sum imbutus.“ —

2) *Greg. Tur. 5, 6*: „Et licet sermone *rustico*, tamen celare passus non sum, quae aut ipse vidi, aut a fidelibus relata cognovi.“ —

3) *Du Chesne I. p. 257*: In hac praefatione cum aliis de litterarum studiis dicuntur haec: „Ingemiscabant saepius plerique dicentes: „*Vae diebus nostris, quia periit studium litterarum a nobis, nec reperitur in populis, qui gesta praesentia promulgare possit in paginis.*“ —

§. 5.

1) Qui quantum profecerint sub Carolo Magno litterarum studia accuratius cognoscere cupiat, comparet, quaeso, Gregorii Turonensis historiarum libros cum *Vita et conversatione Caroli Magni per Eginhardum* conscripta.

§. 6.

1) Quod ad Gregorium Turonensem pertinet, „*Ruinarti Notae in Gregorium Turonensem* ab ipso editum. Lutet. Paris. 1699,“ fortasse criticam quoque respexerunt rationem, quod vero propterea nescio, quod huius libri notitiam comparare mihi non licuit. —

PARS I.

CAP. I.

§. 1.

1) *Hor. Od. I, 3, 37.* —

2) Ut unum tantum idque gravissimum afferam exemplum, *Ioannes de Müller* totam hanc quaestionem tacite praetermisit. Attamen inde, quod verbum *Maioris domus* vernacula lingua per vocem „*Großhofmeister*“ reddidit, facile concludere licet, quae ipse de hoc ministeriali fuerit sententia. Cfr. *Vier und zwanzig Bücher allgemeiner Geschichte*

besonders der europäischen Menschheit. Tübingen 1810. Band II. p. 69 sq. Et ita in omnibus fore de Germanorum historia libris vulgaribus nihil de hac re commentatur.

§. 2.

1) Ex antiquioribus cfr.: *Claude Fauchet Origines des dignitez et Magistrats de France recueillies par ect. à Geneve 1611. l. 1, c. 10*: „La première dignité domestique estoit le *Maire du Palais*, qui fut comme un Lieutenant General: et est la cause, pourquoy on le compare aux *Prefaits du Pretoire* des Empereurs. Il est vray, que les premiers Maires n'avaient pas tant d'autorité sous les Rois sages et vertueux, que durant le regne des malades ou mineurs d'ans. Le *Maire*, à mon advis, eut premièrement charge de la maison du Roy et de la jurisdiction sus les officiers domestiques: Aussi l'appelloit-il *Maier de Major*: nom tiré du Latin, qui signifie Majeur et premier ou plus grand: estant aucune fois employer hors de la maison à choses de la Police: comme il se trouve au xxx chap. du ix livre de Gregoire. Mais depuis, l'insuffisance de leurs maîtres, et l'ambition de ceux-cy les ayant advancez, ils empieterent sur la gendarmerie, et voulurent estre comme leurs Lieutenants, et Reformateurs de tous les officiers du Royaume.“ — Porro *Hrch. v. Bünaugenaue und umständliche teutsche Kaiser- und Reichshistorie aus den bewährtesten Geschichtschreibern und Urkunden zusammengetragen ect. II. Band. Leipzig 1732. p. 200*: haec protulit: „*Diese Würde war Anfangs nicht in so grossem Ansehen gewesen, allein diejenigen, so solche bekleidet, hatten nach und nach Mittel gefunden, die Gerechtfame dieser Bedienung mehr und mehr zu vermehren und auszubreiten. Zuerst war es eine blosser Hofbedienung, welche demjenigen, welcher solche über sich gehabt, das Recht gegeben, Alles, was bey Hofe vorgefallen, zu besorgen und die Aufwartung des Königs einzurichten.*“ — Simile quoddam praebet *Mascow „Geschichte der Teutschen bis zum Abgang der merovingischen Könige ect. Leipzig 1737.“* qui quamvis non copiose et disertis verbis, ita tamen de Maiore domus disputavit, ut, quid senserit, cuique perspicuum sit. Nam lib. XV, c. 1. p. 239. Pippinum I „den obersten Hofmeister“ nominat et ita quidem pergit: „*Die Majores domus hatten bisher die erste Bedienung bey Hofe gehabt*“; et deinde lib. XVI, c. 35. p. 398: „*Unter den Hofämtern sind der Maiordomus und Archicappellanus die fürnehmsten.*“ Porro *Gerardus Du Bois Historia ecclesiae Parisiensis ect. Parisii 1690. Lib. IV, c. 4. p. 169*: ubi haec de Maioris domus munere: „quod munus primum ad palatium solummodo pertinebat, sed sub pupillis regibus adeo potestate auctum, ut rempublicam et reges ipsos pro arbitrio praefecti Palatii regerent atque gubernarent.“ —

2) Prodiit non multis abhinc annis libellus singularis de Francorum Maioribus domus: *Die Geschichte der Merowingischen Hausmeyer von Georg Hürch. Pertz, Dr. d. Philos. zu Hannover, mit einer Vorrede von Hofrath Ritter Heeren. Hannover 1819.* Quo in libello non tam de quaestione, quis fuerit Maior domus, ita inquiritur, ut inveterati iam errores depellantur, quam qui hoc munere ornati fuerint et quid quisque perfecerit, ex fontibus enarratur. Nam doctissimus auctor illam veterem sententiam non minus probasse videtur, quam qui antea de hac re scripserunt, haec scilicet p. 19 de rege Francorum disserens: „*Sein Hof*

war nur im Grossen, was die Höfe freyer Teutschen im Kleinen. Wenn diese bald das Bedürfnis fühlten, einen ihrer ältesten oder kräftigsten und-verständigsten Leute zum steten Aufseher der andern zu bestellen, so setzten auch die Könige (?) ihrem Gefolge einen geachteten, tapfern Mann vor, um Frieden, Ordnung und Gehorsam zu erhalten. Was in gewöhnlichen Wirthschaften der Hausmeyer, war in der königlichen der königliche Hausmeyer, Aufseher des ganzen Hofwesens, der erste der Leute. Dahin deuten die verschiednen lat. Uebersetzungen seines teutschen Titels in den gleichzeitigen Chronisten und Biographen, u. s. w.“ Praeterea nostris temporibus eandem fere iterum promulgavit sententiam vir doctissimus Fr. Rehm, in libro ita inscripto: „Handbuch der Geschichte des Mittelalters“ I Bd. Marburg 1821. p. 323, 326 et 578. Et paucis abhinc annis L. v. Drafch Uebersicht der allgemeinen politischen Geschichte, Thl. II. Weimar 1816. p. 61.

3) Quamquam valde ambigatur inter doctos, quo tempore aut vixerit, aut formulas collegerit Marculfus, ea tamen quae iam doctissimus Bignonius hac de re erudite et copiose disputavit, vix dubium relinquunt, quin Marculfus circa annum 660 sub Chlodoveo II, Dagoberti I filio, formulas collegerit. Cfr. Hironymi Bignoni Not. ad Marculf. Baluz II p. 861 sq. Haud minimae igitur, puto, auctoritatis sunt Marculfi testimonia.

4) Marculf. Form. 2, 52.

5) Ibid. 1, 39. —

6) Cfr. Du Fresne Glossar. ad scriptores mediae et infimae latinitatis s. v. *Domestici*. —

7) Cfr. Greg. Tur. 9, 36. 10, 28: „Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno eius, tam *domestici* quam *comites*, ad praeparanda regalis expensae necessaria.“

8) Leg. Burgundionum praefatio: (Canciani leg. Barb. Tom. IV, p. 13.) — „Sciunt itaque optimates, comites, consilarii, *domestici* et maiores domus nostrae, cancellarii et tam Burgundiones, quam Romani civitatum aut pagorum comites, vel iudices deputati, omnes etiam militantes, ect.“ At non omittendum est, quod Canciani loco laudato adnotavit, plures Gundebadae codices MSS. ita hunc locum exhibere: „Sciunt itaque optimates, comites quoque et consilarii et tam Burgundiones ect.“ verbis quidem: „*domestici et maiores domus nostrae, cancellarii*“ plane omisiss, quae seriori demum tempore, fortasse Dagoberto I regnante, inserta fuisse videntur.

9) Lex Saffca tit. 11, 6: Si quis Maiorem ect. —

10) Sic Gundulfum quendam, qui *domestici* munere functus erat, *ducent* electum fuisse narrat Gregor. Tur. 6, 11. —

11) Vit. St. Arnulfi Episcop. Mettens. c. 4. — Mabillon Annales St. ord. St. Benedicti l. IX, c. 38. —

12) Cfr. Lex Ripuar. tit. 88: „Hoc autem consensu et consilio seu paterna traditione et legis consuetudine super omnia iubemus, ut nullus optimatum *Maior domus, Domesticus, Grafio, cancellarius* vel quibuslibet gradibus sublimatus in provincia Ripuaria in iudicio residens munera ad iudicium pervertendum non recipiat.“ Cfr. Form. Marculf: l. 1, 25. Prolog. Legis Burgundionum. —

13) Cfr. Excerpta Chron. Farenfis Monasterii: Du Chesne III, p. 65a A. „Karolus Dei gratia ect.: Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, *Domesticis* vel omnibus Missis nostris discurrentibus: ect.“ —

14) De Hincmaro et libello, quem de ordine et officiis Palatii conscripsit, cfr. Du Chesne II p. 478. — Claude Fauchet Origines des dignitez ect. l. 1, ch. 8. —

§. 3.

r) Greg. Tur. 4, 26. „Et statim directis viris religiosis Episcopum in loco restituit, dirigens etiam quosdam de camerariis suis, qui exactis a Leontio episcopo mille aureis, reliquos iuxta possibilitatem condemnerent episcopos.“ —

2) Greg. Tur. 6, 45. —

3) Fredgr. Chron. c. 4. Eundem Wandalarum Aimoinus „Camerae regiae praefectum“ nominat, quo Camerarii dignitas certius quodammodo definitur. cfr. Aimoini Monachi Floriacensis hist. Franc. l. 3. c. 75. —

4) Vita St. Audoëni c. 4. Du Chesne I. p. 635. —

5) Hincmar. de ord. et off. Palat. c. 22. „De honestate vero palatii seu specialiter ornamento regali nec non de donis annuis militum absque cibo et potu vel equis ad reginam praecipue et sub ipsa ad *Camerarium* pertinebat, et secundum cuiusque rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid, dum opus esset, ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diversarum legationum ad *Camerarium* adspiciebat, nisi forte, iubente rege, tale aliquid esset, quod reginae ad tractandum cum ipso congrueret.“ — *Du Fresne* contra l. v. *Camerarius* haec affert: „*Camerarii* iidem videntur, qui sub secunda regum nostrorum stirpe *Nuntii Camerae* appellabantur, quibus provinciarum et urbium, quae ad fiscum regium, *Cameram* dictum proprie spectabant, cura demandabatur erantque veluti procuratores fisci in iis provinciis et urbibus eorumque cum ducibus habebatur aequata potestas.“ Cfr. *Claude Fauchet Origines des dignitez* ect. l. 1. ch. 9.“ —

6) Greg. Tur. 10, 10. —

7) Chron. Fontanell. c. 1. „Edicta est haec confirmatio — — et directa Teutgiso *Domestico* et custodi saltuum villarumque regalium.“ —

8) Vita St. Richarii: Du Chesne I, p. 653 A.

9) Greg. Tur. 8, 40. —

10) Greg. Tur. 5, 48. —

11) *Hincmarus* quidem de his agit in l. l. c. 16 et c. 23. Saepius eorum mentio fit sub Carolo Magno, et praecipue in Capitulari de villis a Carolo Magno edito cfr. Baluz. Capitular. I, p. 331 sqq. Satis copiose de omnibus *Du Fresne* l. l. sub his ipsis vocibus, et de nonnullis *Claude Fauchet* l. l. disputarunt. —

§. 4.

1) Lex Sal. 11, 6. „Si quis *Maiorem*, *Infertorem*, *Seantionem*, *Mariscalcum*, ect. fuerit aut occiderit ect. MCCC denar. qui faciunt sold. XXXV culpabilis iudicetur.“ —

2) Du Fresne Glossarium s. v. Maior.

3) Cfr. Georg. Eccardi Adnot. ad Leg. Sal. 11, 6.

4) Greg. Tur. 9, 36. de Childeberto II narratur, eum filium Theodobertum „viris, qui in urbe Sueffionica erant,“ regem praefecisse; et haec fere subiunxit Gregorius: „cui comitibus, domesticis, maioribus atque nutritiis, et omnibus, qui ad exercendum servitium regale erant necessarii, delegatis, mense sexto huius anni direxit eum iuxta voluntatem virorum, qui eum a rege flagitaverant, transmittendum.“ — Quo ex loco novum simul de Domestici conditione nascitur testimonium, ita quidem, ut quem tenuerit inter villarum ministros vel omnino familiam regiam locum, clarius eluceat; *Maiores* enim ei subditi fuisse videntur. Contra vero *Maiorem domus* omnium optimatum primum fuisse, probat legis Ripuar. tit. 88 iam supra allatus, (Prs. I, c. I, §. 2, Not. 12.) ubi omnibus, qui iudiciis interfuisse dicuntur, praeponitur. —

5) Etiam in legis Salicae loco iam saepius laudato verbum „*Maiorem*“ ita collective quodammodo positum esse mihi videtur, ut significet „*unum ex Maioribus*,“ non certum illum *Maiorem domus*, ut nonnulli putarunt. —

6) Cfr. Caroli Magn. Capit. de villis: Baluz. I, p. 331, sqq. c. 10: „Ut *Maiores* nobiles et Forestarii, Poledrarii, Cellularii, Decani, Telonarii et ceteri ministeriales ea faciant ect.“ — c. 26: „*Maiores* vero amplius in ministerio non habeant, nisi quantum in una die circumire aut providere potuerint.“ — c. 60: „Nequaquam de potentioribus hominibus *Maiores* fiant, sed de mediocribus, qui fideles sunt.“ —

§. 5.

1) Egirhandi vita et conversat. Carol. Magn. Du Chesne II, p. 95 A. — Eadem fere verba avert auctor incertus historici cuiusdam fragmenti; Du Chesne I, p. 784 C.

2) Lex Salica tit. 11, 6. „*De Mancipiis*.“ —

3) Capitul. de villis c. 60. cfr. Baluz, l. I. —

4) Capitularium Carol. M. l. V. c. 174. Baluz. I, p. 857: „Ut Presbyteri curas seculares nullatenus exercent, id est, ut neque iudices, neque *Maiores villarum* fiant.“ —

5) Hist. epitomat. c. 58 idem Chrodinus *Maior domus* nominatur. At cum omnino toti historiae epitomatae, tum praecipue his duobus capitibus (c. 58 et c. 59) haud maxima fides habenda est, idque propterea, quod, quae ibi narrantur, omni auctoritate destituta in sola historia epitomata, quam seriores quidem secuti sunt, exstant. Cfr. Aimoin. Hist. 3, 4. Atque auctor historiae epitomatae ipse Chrodinum (Rodinus male in textu ipso legitur) c. 88 *Ducem* vocat; eodem modo Fortunatus in carmine „*ad Chrodinum ducem*“ Du Chesne I. p. 509:

Inclite *dux* meritis totam vulgate per orbem,
Quem nimis egregium splendida fama refert,
Non ego praeteream praeconia celse Chrodine, ect.

6) Gregor. Tur. 6, 20. —

7) Ibid. 7, 27. 28. 34. —

8) Ibid. 7, 38. —

9) *Ibd.* 7, 43. —

10) *Aim. hist.* 3, 68. Sed ibi „*Waldo*“, non „*Waddo*“ legitur. At non est, quod in his minutis offendamus, cum tanta sit apud aevi scriptores nomina propria scribendi varietas. —

11) Cubicularii passim nominantur, quorum quae fuerit conditio, ipsa etymologia satis indicat. *Greg. Tur.* 7, 13, „in urbe vero Eberonem Cubicularium Childeberti regis relinquens.“ *ibid.* 7, 18: „*Farulfus Cubicularius.*“ *ibid.* 7, 21: „*Eberulfus Cubicularius;*“ *ibid.* 10, 10: „*Chundo Cubicularius,*“ de quo Gregorius, cum Guntramnus rex eum interfici iussisset, haec subiungit: — „Multum se ex hoc deinceps rex poenitens, ut sic eum praecipitem reddidisset, ut pro parvulae causae noxa fidelem sibi *necessarium* virum tam celeriter interemisset.“ — *Fredgr. Chron.* c. 38: „*Bertharius Cubicularius.*“ et innumeris aliis in locis. — *Marculf. form.* 1, c. 25 Cubicularium inter eos quoque enarrat, qui iudiciis cum rege interfuerint. cfr. *Hieron. Bignon. Not. ad Marculf.* 1, 25. *Baluz.* II, p. 913. — *Du Fresne Glossar. f. v. Cubicularius.* *Claude Fauchet l. l.* 1, c. 11. —

12) *Greg. Tur.* 5, 47. —

13) *Hist. epitom.* c. 59. —

14) *Aimoin. hist.* 3, 4. —

15) *Greg. Tur.* 6, 1. —

16) *Ibd.* 8, 22: „Hoc tempore *Wandelinus Nutritor* Childeberti regis obiit, sed in locum eius nullus est subrogatus, eo quod regina mater curam velit propriam habere de filio.“

§. 6.

1) *Fredgr. Chron.* c. 24. —

2) *Ibd.* c. 25 et c. 26. —

3) *Ibd.* c. 40. —

§. 7.

1) *Fredgar. Chron.* c. 42. —

2) Ad quod confirmandum unum tantum proferre mihi liceat exemplum. *Mariscalcus* nimirum ab initio non, nisi puer regius isque infimi ordinis fuit. Cfr. *Eccardi Not. ad legis Sal. tit. 11, 6 „de Mancipiis,*“ „*Mariscalcus* hic propriissime *Equisonem*, curatorem vel praefectum equorum denotat, qualis in lege *Alemannorum tit. 79, 4* occurrit, ubi dicitur: si *Mariscalcus*, qui super duodecim caballos est, occiditur, quadragiata solidis componatur. Equus olim *Mar* (unde nobis *Mere*, equa, restat) et *Schalk*, servus dicebatur ect.“ — Contra vero *Du Fresne* in *Glossario f. h. v.* „*Mariscalcus*, *Equiso*, curator vel praefectus equorum ex Germanico *March* vel *Marack*, equus, et *Scaléh*, potens, magister, ut est apud *Rhenanum lib. 2.*, vel famulus, minister, ut apud *Cluverum* in *Germania antiqua* 1, 8. *Anonymus de nominibus Germanorum*: *Marischalcus*, nullum nomen foedius est corruptum per *Italos* vel *scriptores*. Est enim id, quod *Mehier* seu *Maior* et *Stalher*, qui est magister equitum ab equitibus gubernandis et dicendum ac scribendum fuit *Mersthalere*, i. e. *Maior*, superior, summus magister equitum.“ Sed haud scio, an clarissimo *Adelungio* adscripuler, qui illam huius verbi de voce *Maioris* derivationem nimis quaesitam sine dubio

et quasi contortam haud immerito reiciendam putavit. *Adelung grammatisch-critisches Wörterbuch der hochdeutschen Mundart* s. v. *Marschall*. Primariam verbi significationem Franco-Galli usque hodie quodammodo retinuerunt in verbis „*maréchal-ferrant*“ faber ferrarius, quippe qui maximam partem in equorum cura sit occupatus. Cfr. Claude Fauchet l. l. liv. 2, chap. 8. — Mariscalci nomen igitur veteri et primo munere abiecto, novis eis-que multo altioribus tribuebatur dignitatibus, usque tandem a. 936, cum Otto I Aquisgrani corona regia ornabatur, Arnulfus, dux Baiuvariorum, talem huic voci attulit notionem atque gravitatem, qualis ad ipsa fere recentiora usque tempora non sine momento fuit. — *Maior domus* vero vetus nomen quasi novae potestatis praesidium retinere potuerit, ita quidem, ut sub specie parvi et exigui nominis, in rebus maximis administrandis hominum animos fefellerit. —

3) Lex Sal. 11, 6. Greg. Tur. 9, 36. Capitul. de villis. c. 10. 26. 60. —

4) De villico cfr. Varro de re rustica l. 1, c. 2, ubi eius nomen ita explicatur: „Villicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a *villa*: villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus et evehuntur, cum veneunt.“ De eis eligendis eorumque officiis copiosius agunt: Cato de re rust. c. 5; Columella de re rust. 1, 8; l. 11; l. 12, 18. —

CAP. II.

§. 1.

1) Quint. institut. orat. X, 1, 26. —

2) Histoire des Français par I. C. L. Simonde de Sismondi, Correspondant de l'institut de France. à Paris 1821, 8. —

3) De primo, rei familiaris regis praefecto, Sismondus haec disseruit l. l. p. 404: „Des rois, qui vivoient comme de riches particuliers sur les domaines de leur couronne, qui voyageoient avec leur cour d'un château à l'autre, pour consommer successivement leurs provisions, avoient besoin d'un économiste pour administrer leur fortune. Le nom latin de cet économiste étoit *Majordomus*. Le même nom désigna les mairs du palais; en sorte, qu'on a universellement cherché dans cet office domestique l'origine d'une charge judiciaire, militaire, et dont la nomination appartenoit au peuple et non point au roi.“ — Quae ita exposuit doctissimus Sismondus, Mummoli, Waddonis et Badegisili exemplo comprobanda putavit. —

4) Greg. Tur. 6, 35-7, 15 et innumeris aliis locis. —

5) Greg. Tur. 7, 6. ibd. 7, 11. De diversis praefectorum generibus cfr. Du Fresne Glossar. f. h. v.

6) Greg. Tur. 6, 9. —

§. 2.

1) Sismondii verba, quae huc praesertim pertinere videntur, haec sunt l. l. tom. I p. 340: „Les seigneurs austrasiens, en proclamant un roi mineur, mirent à la tête de l'admi-

niftration de la justice et des armées de leur royaume un magistrat élu par eux, qu'ils nommoient tour à tour *nurricier du roi* et *major dome* ou *maire du palais*. Le dernier de ces noms (*Major domus*) n'avoit probablement aucun rapport avec les fonctions, qui étoient attribuées au *grand-juge des Francs*; mais plutôt son nom allemand aura ressemblé par le son au nom latin d'un officier du palais des empereurs et l'un aura été considéré comme la traduction de l'autre. Cet office de *grand juge* étoit dès-lors pour les Francs une institution ancienne. Frédégaire, auteur presque contemporain, raconte l'élection d'un maire pendant la minorité de Sigebert; mais comme Sigebert ne fut jamais mineur, nous la rapportons à la minorité de Childebert II. — „Quibus Sismondus subnotavit haec: „*Mord-dom* signifioit mot à mot *juge du meurtre* ou *juge à mort* et à l'oreille des Romains *Mord-dom* ressembloit beaucoup à *major domus*. —“

2) Praecipue huc referendus est *Claude Fauchet*, cuius sententia iis, quae Sismondus proposuit, simillima esse videtur. Dixit enim (*Origines des dignitez et Magistrats* ect. l. 1, ch. 10.) — — „Car si vous croyez ledit auteur, (*Frédégario*) les Seigneurs François chisoient le Maire du Palais Royal, pour être comme supérieur de tous autres officiers: et possible, representent le Praefectus Praetorio, jadis envoyé en Gaule, pour Lieutenant des Empereurs Romains, en guerre et administration de la justice: ainsi que ledit auteur montre par l'exemple de Gogon, pourvue de cet estat du consentement des Nobles, et suivant la quittance que lui en fit Chrocin.“ Deinde *Franciscus Hotomannus* (*Francogallia Francofurti 1665* cap. XV.) de Maioribus domus: „Eorum, inquit, video eandem prope apud Reges nostros dignitatem fuisse, qualis quondam apud imperatores Romanos erat Praefectorum Praetorio.“ Cfr. cum his quae *Antonius Matharelli* contra hanc comparationem monuit in libro „ad Franc. Hotomanni Francogalliam. Francofurti 1665.“ cap. XI p. 121. — Hos secuti sunt ex recentioribus permulti. —

3) Praefectorum praetorio ab Augusto institutorum officia ab initio ad res militares tantum spectabant; deinde M. Aurelio imperante etiam ad iudicia moderanda; Commodi vero regnante fere totius imperii administratio ad solos praefectos praetorio erat delegata; Constantinus contra, magnus ille, ita constrinxit eorum potestatem, ut solam iurisdictionem iis committeret. Cfr. *Reiz's Vorlesungen über die römischen Alterthümer* p. 449.

4) Cfr. Schilter *Glossar. Antiquit. germanicae* Tom. III. l. v. *Mord, Mort, Mordrum*. — *Glossar. German. continens originēs Antiquitat. totius linguae German. ect. opus Ioh. Georg. Wachteri. Leipzg. 1737* l. v. *Mord*. — *Du Fresne Glossarium* l. v. *Morth*.

5) Cfr. Schilter *Glossar. l. l. l. v. Doam, Toam, Duom, Dom, Dum* ect. — *Wachteri Glossar. l. v. Dammen*, iudicare; et l. v. *Dom-kirche*, ubi haec: „a *dom*, quod in omnibus veterum dialectis et in iisdem *Lipsii Glossis iudicium* et *iurisdictionem* significat.“ Unde sine dubio Anglis „*dooms-man*.“ iudicem, arbitrum sonat. —

6) In *Lege Saxonum* II, 6: ne quid silentio praeterivisse videat, verbum *Mordum* legitur: „Si mordum totum quis fecerit, ect.“ quod tamen idem significat, ac *Mord*. Praeterea alii codices praebent „*Mordrum*.“ Cfr. ad hunc locum *Carol. Guil. Goertneri* *Not. Canciani leg. Barb. Tom. III. p. 43*. —

7) Cfr. Lex Allemannorum tit. 49, 1: „si quis hominem occiderit, quod Allemanni *mordtaudo* dicunt ect.“ Ibid. tit. 76: „si quis *mordtaudit* barum aut feminam, ect.“

8) Cfr. Lex Ripuar. tit. 87. —

9) Cfr. Lex Ripuar. tit. 36, 11, ubi singulae totius armaturae partes pro suo quaeque pretio aestimantur. Cfr. *Ioh. Georg. Eccardi* adnotat. ad eundem hunc locum.

10) Erant enim, quamquam sermone rustico et haud polito utebantur, hi scriptores linguae latinae ita periti, ut sensum peregrinae vocis sine difficultatibus latine reddere potuissent. *Morddom* igitur satis bene ita fortasse interpretari licuerit: iudex caedis sive internecionis, aut is, qui summa iudiciaria potestate praeditus est, aut quocunque alio modo cuique placuerit. —

11) Haud raro enim id fecerunt scriptores, ita quidem, ut, si quid latine verterint ex Germanorum lingua, simul ipsa vernacula verba adiicerent; e. g. Lex Ripuar. tit. 15: „Si quis ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit et eum cum ramo cooperuerit, vel in puteo vel in quocunque libet loco celare voluerit, quod dicitur *mordridus*, ect.“ — Greg. Tur. 4, 46: „tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgus *seramasaxos* vocant, in vectis veneno,“ ect. — Idem verbum ita explicatum invenimus in *Gest. Reg. Franc. c. 32 et c. 35*, et haud scio an idem significarit, atque verbum „*hantsacci*“ de quo in *Gestis Francorum Roriconis Monach. Du Chesne I, p. 812 C.* — — cultellos permaximos, quos vulgariter *hantsaccos* corrupto vocabulo nominamus.“ — Item *Annales Franc. Mettenses: Du Chesne III, p. 263 B.* Auctor de orientalibus Francis differens adiecit „quos illi propria lingua *Osterliudo* vocant“ et paulo inferius de occidentalibus: „Quos illi *Niuvisorios* dicunt.“ — Itaque pari modo scriptores de Maiori domus differentes, si *Sismondii* sententia vera esset, adiicere potuissent: „quem illi *Morddom* vocant,“ vel aliud quid ex hoc genere. —

§. 3.

1) Cfr. *Sismondi l. l. p. 342*: On voit, que selon un historien presque contemporain (*Fredegarius hist. epitomata*) le maire du palais dès les temps de *Childebert II*, ou même dès celui de *Clothaire* fils de *Clovis* n'étoit nullement un officier royal chargé de percevoir les revenus du domaine, mais un officier du peuple chargé de rendre la justice indépendamment du roi. La nation se dispensoit quelquefois d'élire ce grand juge; mais quand elle le nommoit, c'étoit avec l'intention de soumettre les grands à la discipline en envoyant les plus désordonnés au supplice. Un nom porté d'une langue à l'autre, au lieu de le traduire a causé un longue erreur sur les fonctions de ce magistrat.“ — His subiunxit: „L'expression du *Chrodinus*: „*nec quempiam interficere*,“ qui a quelque chose de féroce, devient toute naturelle, si en allemand c'étoit le mot même, qui indiquoit ses fonctions: *Er könnte Niemand morddohmen*. Le bracie signe de l'autorité du *Majordome* étoit probablement le bras ou la main de justice.“ —

2) Est illo locus in *Frædgr. hist. epit. c. 58*: „Ante hæc in infantia *Sigiberti* omnes *Austrasii* cum eligerent *Chrodipum* *Maiorem domus* eo quod erat in cunctis strenuus et timens deum, ille hunc honorem respiciens dicebat: *Pacem ego in Austro fa-*

cere non valeo, maxime cum omnes primates cum liberis in toto Austro mihi confanguinet sint, non possum ex eis facere disciplinam, nec quemquam interficere. Ipsi vero per me insurgent, ut agant superstitiose, eorum acta non permittat deus, ut me inferni claustro tradant ect. — Deinde cap. 59: „— — In crastino primus ad eius mansionem perrexit Chrodinus ad ministerium, *bracile Gogoni in collo tenens*. Quod reliqui cernentes, ect.“ — Ita quidem in textu ipso; in margine vero apud Du Chesnium haec adnotata est lectionis varietas; „*brachium Gogonis in manu tenens.*“ —

3) Du Chesne I, p. 734. —

4) Firmatur insuper haec sententia eo, quod Aimoinus, qui eandem hanc Gogonis electionem, historiam epitomatam sine dubio secutus, narrat (l. 3, 4.) lectionem: „*brachium Gogonis in manu tenens*“ sive ipse in codice suo invenit, sive praeferendam certe putavit, quippe haec verba exhibens: „*Et brachium eius collo superponens suo signum futurae dominationis dedit eique dixit: ect.*“ — Item Claude Fauchet Antiquitez et histoires Gauloises et Françoises l. 3, chap. 13, p. 193: „— — il vint de bon matin en la maison de Gogon, le bras du quel ayant mis sur son col en signe de la puissance qu'il devoit avoir, il luy dit, ect.“

5) Cfr. Du Fresne Glossar. s. v. *bracile*, ubi haec: „Cassiano lib. I. de veste Monach. c. 6, quem exscripsit Isidorus lib. 19. c. 33. est redimiculum sive succinctorium, quod dividens per cervicem et a lateribus colli divisum (demissum) utrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem vestiatur corpus atque coniungendo componat. Hoc vulgo *Bracile* quasi *Braciale* vocant, quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum.“ — Cum igitur *bracile* ad Monachorum vestimenta pertinuerit, haud difficile est explicatu, quomodo perversa illa lectio „*bracile Gogoni ect.*“ in textum irripuerit. Monachi enim, qui codices MSS. transcribere solebant, litteras casus quadem temeritate fortasse aliqua ex parte deletas, ita optime restitui pro monachali imperitia arbitrati sunt, de ipsorum *bracili* scilicet cogitantes. —

§. 4.

1) Cfr. *Malcow Geschichte der Teutschen* ect. l. XVI, c. 40. p. 336: „*Man könnte sagen, die Nothwendigkeit habe sie dictirt und die Freiheit zu Papier gebracht.*“ —

2) Capitale supplicium flagitant e. gr. Legis Sal. tit. 53, 4. Legis Rip. tit. 89. —

3) Cfr. Tac. German. c. 12: „*Sed et levioribus delictis pro modo poena. equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multae regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur.*“ — Ibid. c. 21: „— — luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus.“

4) In lege Salica praecipue his titulis de homicidii compositione agitur: Tit. 28: De homicidiis Parvulorum. — Tit. 38: De homicidiis servorum vel expolationibus. — Tit. 44: De homicidiis ingenuorum. Tit. 45: De Homicidiis a contubernio factis. Tit. 46: De homicidiis in convivio factis. Tit. 57: De Gravione occiso. Tit. 66: De homine in hoste occiso, et nonnullis aliis titulis, quibuscum Legis Ripuariorum comparandi sunt Tit. 7 — 15. et Tit. 36. 55. 63. 64. —

5) Cfr. Greg. Tur. 6, 23: „Dehinc Chilperico regi post multa funera filiorum, filius nascitur. Ex hoc iubet rex omnes custodias relaxari, vinotos absolvi, *compositionesque negligentum fisco debitas praecepit omnino non exigi.*“ —

6) Greg. Tur. 10, 10. —

7) Gest. Dagobrt. c. 6. —

8) Fredgar. Chron. c. 4. Mummulus *iussu regis Guntramni* interficitur. — Greg. Tur. 6, 11. —

9) Huiusmodi supplicii testis est luculentissima caedes Protadii Maioris domus. Fredgr. Chron. c. 27. Simili modo Erpo dux „*per rebellionis audaciam*“ interficitur. Fredg. Chron. c. 43. — Sed haec et talia vix commemorare licet, quippe non ex lege et ordine, sed temporum necessitate quasi cogente effecta. —

9. 5.

1) Cfr. e. g. Greg. Tur. 10, 5 et 10. — Vita St. Praeiectionis Du Chesne I, p. 673, ubi Episcopus apud *regem* accusatur. —

2) Lex Ripuar. tit. 50, 1: „Si quis testes ad mallum ante Centenarium, vel Comitum seu ante Ducem, Patricium, vel *Regem* necesse habuerit“ ect.

3) Lex Salica tit. 59. „Si quis ad Mallum venire despexerit, aut quod ei a Rathimburgiis fuerat indicatum adimplere noluerit, si nec de compositione, nec ad Aeneam, nec de ulla lege fidem facere voluerit, *tunc ad Regis praesentiam ipse maniri debet*“ ect. — Luculentissimum de regis iudiciaria potestate testimonium praebet Marculfus Form. 1, c. 25: „*Prologus de regis iudicio, cum de magna re duo causantur simul.*“ Quem ad locum Hieronym. Bignonius copiosam et eruditam praebet adnotationem. Cfr. Baluz. capit. II, p. 909.

4) De Patriciis omnino conferenda est nota ad Marculf. 1, 35. Baluz. capit. II, p. 920. — Du Fresne Glossar. s. v. *Patricius*. Claude Fauchet Origines des dignitez ect. l. 2, chap. 1. —

5) Cfr. Marculf. Form. 1, 8, ubi de officiis Patricii, qui Provinciae praeficiatur, agitur, quo in loco quamquam de iurisdictione exercenda expressis quidem verbis nihil dicitur, formula tamen: „*sub tuo regimine et gubernatione degant et moderentur*“ etiam ius dicendi officium praecipui, vehementer putaverim. —

6) Greg. Tur. 4, 24: „Cum autem Guntchramnus Rex Regni partem, sicut fratres sui, obtinuisset, amoto Agroecola Patricio, Celsum Patriciatus honore donavit, virum procerum statu, in scapulis validum, lacerto robustum, in verbis tumidum, in responsis opportunum, *iuris lectione peritum.*“ —

7) Cfr. Marculf. 1, 25. 37. 38. Vita St. Wandregisili, Du Chesne I, p. 638. C. — Vit. St. Auftrebertae ibd. p. 652 A. — Vit. St. Berthae ibd. p. 665 A. — Conversio St. Huberti ibd. p. 678 C. — Sed Comites Palatii alia quoque negotia administrarunt; sic saepius procliis interfuisse dicuntur, e. g. Greg. Tur. 9, 12. Fredgr. Chron. c. 90. — Inter descriptores nominatur Comes Palatii Greg. Tur. 9, 30. — Cfr. Bignon. Not. ad Marculf. 1, 25. Baluz. II, p. 913. Claude Fauchet l. 2, 4. —

8) Hincmar. de off. Palat. c. 21: „Comitis autem Palatii inter cetera paene innumera-
rabilia in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quae alibi ortae pro-
pter aequitatis iudicium aggrediebantur, iuste et rationabiliter determinaret, seu perverse
iudicata ad aequitatis tramitem reduceret, ut et coram Deo propter iustitiam, et coram ho-
minibus propter legis observationem cunctis placeret.“ —

9) Tac. Germ. c. 12. —

10) Lex Sal. tit. 53, 4; tit. 54; tit. 57. Fredgr. Chron. c. 42. c. 74. — Verbum
Grafonis quid proprie significet et unde derivandum sit, nemo est, qui nesciat. Ineptissi-
mam sane eorum etymologiam esse putaverim, qui hoc nomen vel a Graecorum *γράφειν*,
ut Wendelinus in Gloss. Salic., vel a germanico *graven*, sculpere, scribere, ut Olivarius
Uredius de comit. c. 13. vel denique a regis *graphiario*, ut Iac. Chiffetius in Anastasi
Childerici I, p. 191. derivandum putarunt. —

11) Lex Ripuar. tit. 51. tit. 59. tit. 89. — De comitum iudiciis e. g. cfr. Greg. Tur. 6, 8.
10, 15. Praecipue comites saepius in *Mallo*, ut iudicii locum nominabant, iudicia mode-
rantes invenimus. Cfr. Fredgr. Chron. c. 83. — Vita St. Walarici, Du Chesne I, p. 561.
C, ubi haec: „Advenientes vero ad quendam locum Ambionensium perveniunt Walimago,
ubi quidam comes, nomine Sigobardus, iuxta morem saeculi concioni praesidebat, quod ru-
fici *mallum* vocant.“ — Cfr. Hron. Bignonii Not. ad Marculf. Form. 1, 8. Baluz. Capit.
II, p. 888. —

12) Greg. Tur. 10, 5. Lex Rip. 58, 3. —

13) Lex Sal. 47, 1. *De Reipus*; ad hunc titulum Eccardus copiose et erudite de Tun-
ginis et Centenariis disputavit. ibd. 49, 1; Lex Sal. a Carolo Magno emendata ed. Ec-
cardi p. 181. c. 12. —

14) Greg. Tur. 4, 42. —

15) Fredgr. Chron. c. 53; Gesta Dagobrti c. 13. —

§. 6.

1) Lex Ripuar. tit. 88.

2) Marculf. Form. l. 1, c. 25. —

CAP. III.

§. 1.

1) Cfr. *Allgemeine Geschichte der Völker und Staaten von Hr. Luden Thl. II. Jena*
1821 p. 179 § 134: „Der Major domus (Hausmeyer) war schwerlich jemals bloßer
Hausdiener des Königs gewesen, vielmehr war er, scheint es, vom Anfange der Er-
oberung an der Aufseher über das grosse Gemeingut der Eroberer, der
von den Leuten selbst etwa auf Vorschlag des Königs erwählt ward, um zu verhüten, dass
der König die Lehen nicht an sich zöge oder verschlenderte, und wohl nicht, um des Königs
Antheil von diesem Gute zu verwalten. Ist diese Ansicht richtig, so war der Major domus

ein Bevollmächtigter der Leute, neben den König gestellt, damit sie einen Mann hätten, der wegen der Verwendung des Fiscus ohne Schwierigkeit zur Rechenschaft gezogen werden könnte.“ —

§. 2.

- 1) Du Fresne Glossar. f. v. *Fiscus*. —
- 2) Greg. Tur. 6, 23: „— — compositiones negligentum *fisco* debitas — —“ (cfr. c. II. § 4. Not. 5.)
- 3) Greg. Tur. 10, 21: „Eunte autem comite, ut debitum *fisco* servitium solite deberet inferre.“ Qui locus facile ex formula quadam Marculfi l. 1, c. 8 „de ducatu, patritiatu vel comitatu“ explicari potest, ubi sub finem haec fere verba: „— et quicquid de ipsa actione in *fisci* ditionibus speratur, per temet ipsum annis singulis nostris aerariis inferatur.“
- 4) Gest. Reg. Franc. c. 42, ubi de Dagoberto I haec: „Ipse enim eleemosynarum copia de *fisco* Palatii per ecclesias sanctorum primus distribuere censum iussit.“ —
- 5) Vita St. Austregisili Du Chesne I, p. 548 C. „Erat per id tempus in Palatio regis Betellinus quidam, homo potens, qui per fraudem ex *fisco* regio quippiam sibi magna temeritate vindicarat.“
- 6) Saepissime in Marculfi formulis et in Caroli M. capt. de villis, regales villae *fisci* nominantur; e. g. capt. de vill. c. 4: „Franci autem, qui in villis aut *fiscis* nostris commanent.“ — Vita St. Mauri, Du Chesne I, p. 541 A: „dedit ad ipsum locum *fiscum* regium, qui Boscus vocatur, cum omnibus villibus et redditibus, qui ad eum pertinebant:“ quo in loco *fiscus* non unam certam villam indicat, sed potius agrum quendam, in quo plura praedia sita erant. — Vita St. Martini ibd. p. 655 B. „— coepit facultates sanctorum locorum inquirere et medias tabulas *fiscorum* regalium inscribere.“ — Vita St. Boboleni ibd. p. 659 B. „— itaque locus ille, sicut usque hodie, ita et tunc *regalis* erat *fiscus*.“ — ibd. p. 661 B. „tunc rex eius animi videns devotionem, dedit ad illam novellae plantationis Ecclesiam *fiscum* regium ect.“ —
- 7) Greg. Tur. 6, 45: „Ipse vero iam regressus Parisiis familias multas de domibus *fiscalibus* auferre praecepit.“
- 8) Ibid. 8, 40: „pro eo, quod iumentorum *fiscalium* custodes sub eius potestate confiterent.“ —
- 9) Ibid. 5, 48. —
- 10) De Pippino quidem II, cui Heristallensi cognomen seriores scriptores tribuunt, auctor vitae St. Remacli Du Chesne I, p. 645 B, haec dicit: „Is ubi didicit in supradictis monasteriis cultum religionis augeri, duas ex *fiscis* suis villas in usum mensae servorum dei . . . attribuit.“ — In Annalibus Mettens. porro ibd. III, p. 274 C. de Pippino III post rege ad annum 747. haec leguntur: „Eodem anno Pippinus fratrem suum Gripponem de custodia liberavit deditque illi comitatus et *fiscos* plurimos.“ —
- 11) Cfr. Du Fresne Glossarium f. v. *Beneficium*.
- 12) Copiosius et pererudite de his rebus doctissimus Ludenus ipse discernit l. J. p. 149 §.

111 et 112, quibus si quid adiacere velim, vehementer vereor, ne eorum vitium committam, qui nova proferre conantur, de veterum scilicet virtute atque praestantia parum solliciti. —

13) Marculf. l. 1, 2: „Ergo dum et ille Episcopus aut Abbas aut iniuster vir monasterium in honore sancti illius in pago illo aut *super sua proprietati* aut *super Fisco* noscitur aedificasse ect. —“ Ibid. 1, 12: „Dedit igitur praedictus vir ille per manu nostra iam, dictae coniugi suae illi villas, quas aut *munere regio*, aut *de alode parentum* vel undecunque ad praesens tenere videtur, ita, ut nulla refragatio nec *de parte fisci nostri*, nec *a parentibus eorum propinquis* nec a quocunque possit convelli.“ —

14) Lex Sal. 59, 1: „Tunc cum ista omnia impleverit, qui eum admallat, et ille, qui admallatur, ad nullum placitum venerit, et pro lege se educere noluerit, tunc rex, ad quem manitus est, extra sermonem ponet et ita ille culpabilis et res suae erunt in *fisco*, aut eius, *cui fiscus dare voluerit*.“ — Ibid. tit. 65: „Quodsi de paterna vel materna parte nullus proximus fuerit, portio illa *ad Fiscum* perveniat, vel *cui fiscus concederit*.“ —

15) Greg. Tur. 8, 22, ubi de defuncto Wendelino haec: „Quaecunque *de fisco* meruit, *fisci iuribus* sunt relata.“ Deinde vero: „Obiit his diebus Bodegisilus dux plenus dierum, sed nihil de facultate eius filiis minutum est;“ quippe cum, ut puto, „*eius facultas*“ non ad *fiscum* pertinuerit. —

16) Greg. Tur. 9, 38: „— At vero Sunnegisilus et Gallomagnus, privati a rebus, *quas a fisco* meruerant, in exilium retruduntur.“ — Ibid. 5, 25. — Ibid. 8, 45: „— Resque Beppoleni, eo quod fuerit huius caput sceleris, *in fiscum redigens*.“ — —

17) Huc pertinere videtur Lex Rip. tit. 57, 4: „Si autem homo denariatus absque liberis discesserit, non alium, nisi *fiscum* nostrum heredem relinquat.“ — Aliud ex hoc genere praeceptum est apud Marculfum l. 1, c. 32: „Igitur cum et ille cum reliquos parces suos, interfecit, aut quaslibet alias causas contra regem admisit, vel de regno nostro se transtulit, una cum consilio fidelium nostrorum omnes res eius *sub fisci titulum* ialustribus viris illis praecipimus revocare.“ — Cfr. e. g. Greg. Tur. 5, 26 f. f. ibd. 8, 11. — Vita St. Martini, Du Chesne I, p. 655 de Dagoberto dicitur: „Quod exequens cum familia facturus Vertavum venisset, ubi nobilissima habebantur praedia, *mediam* eorum partem *fisco* addidit et *mediam* fratribus reliquit.“ Et talia innumera afferre possem, nisi his paucis exemplis rem ipsam satis illustratam esse putaverim. —

§. 3.

1) Greg. Tur. 8, 30: *Maiores natu laicorum*. — Fredgr. Chron. c. 95: *Maiores natu Francorum*. — Fredgr. Chron. contin. Du Chesne I, p. 774 C. *Maiores natu gentis Longobardorum*. Ibid. p. 778 B. *Maiores natu Aquitaniae*. —

2) Annal. Francorum Bertiniani, Du Chesne III. p. 152. A. — Annal. Mettenf. ad annum 757, ibd. p. 277 C.

3) Greg. Tur. 6, 45. ibd. 7, 19: *Meliores natu regni Chilperici*. Pari modo Greg. Tur. 1, 29: „*Senatores et Meliores loci*“ simul nominat.

4) Greg. Tur. 4, 13. —

5) Ibid. 8, 9. —

- 6) *Ibd.* 9, 36. —
 7) *Fredgr. Chron.* c. 36. —
 8) *Greg. Tur.* 10, 29. —
 9) *Greg. Tur.* 6, 35. —
 10) *Fredgr. Chron.* c. 41. et c. 44. —

11) Adelungius de his agit in opere egregio illo: *Grammatisch-kritisches Wörterbuch der hochteutschen Mundart* f. v. Meier, et ita quidem: „Dieses Wort hat so wie Meister alles Ansehen eines echten altteutschen Wortes. Es ist von dem alten ma-mae-meh, groß, mehr und der Ableitungssylbe -er entstanden. Es ist zuverlässig ein Geschlechtsverwandter von dem lateinischen magnus, maior, ohne doch aus dem letzten gebildet zu seyn, wie viele behauptet haben. Da dieses Wort im Teutschen so alt und von einem so weiten Umfange ist, so ist gar nicht glaublich, dass die teutschen und verwandten Völker für einen Vorgesetzten nicht eher einen eignen Namen gehabt haben sollten, als bis sie ihn aus dem lat. Maior und magister entlehnt. Das lat. Maior ist vielmehr erst in den spätern Zeiten auf den teutschen Meyer angewendet worden.“

12) Eccardus *Not. ad Leg. Sal. tit. 11, 6 de verbo Maioris* dicit: „Hinc et nostri villici Meyer audiunt, quod nomen non ex maior, sed ex Germanico Mehr, magis, plus una cum ipsa latina voce deducendum est, ut significet proprie aliquem, qui plus est, quam ceteri, sive praestantior, vel qui reliquis praest.“ —

13) Ita Eccardus l. l. ex „ordinatione iudicii inferioris Trevirensis“ haec affert: „Und sollen die geordneten fürsprecher diesen nachfolgenden eydt unserem amtman, schultheissen, meyer, vogt oder andern, der von unserntwegen ein haupt oder oberster des gerichtts ist, schweren, ect.“ — et Adelungio l. l. testante in *Ipeculo Suevico princeps elector palatinatus „des heiligen Reiches oberster Richter und Hausmeyer“* appellatur. —

14) De legis Salicae collocatione cfr. Ioan. Georg. Eccardi adnotat. ad illustriff. Leibnizii libellum de origine Francorum c. 18, *Édt. leg. Sal. Eccardi* p. 256 f. f. — Canciani *leg. Barbar. ect.* Vol. II, p. 3 sq. —

15) *Stumpfius Chron. helveticum* l. 2, c. 13.

§. 4.

1) Cfr. exempli g. Cic. de fin. 1, 18: „Neque enim civitas in seditione beata esse potest, nec in discordia dominorum domus.“ Cic. *Epist. ad divrs.* 5, 8: „Sum enim consecutus, non modo ut domus tua tota, sed ut cuncta civitas me tibi amicissimum esse cognosceret.“ — *Ibd.* 15, 11: „Quantae curae tibi meus honos fuerit et quam idem exstiteris consul in me ornando et amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis, et cum tota domo, etsi res ipsa ect.“ — Tacitus *Agricol.* c. 19: „A se suisque orsus primum domum suam coercuit.“ — *Eisdem.* German. c. 21: „recipitque satisfactionem universa domus.“ —

2) Ut hoc opportunitate semel oblata moneam, Gregorii Tur. l. 10, c. 29 verbi domus quaedam interpretatio facile aliquem in eam inducere possit opinionem, Maiorem domus villarum familiae re vera praefectum fuisse. Gregorii enim de Aridio, quodam sancto, disse- rentis verba sunt fere haec: „Deinde cum ieiuniis atque orationibus vacaret, deprecatur

eam (ipsum matrem Pelagiam), ut omnis cura domus, i. e. sive correctio familiae, sive exercitium agrorum, sive cultus vinearum ad eam adspiceret." Quae tamen interpretatio cur ad nostram rem nihil valeat, non longa indiget argumentatione. —

3) Greg. Tur. 6, 9. — ibd. 9, 30. — Fragmt. hist. auctoris incerti ad an. 674. Du Chesne I, p. 782. —

4) Gest. Reg. Francorum c. 41 et c. 49, quo ultimo loco ita separatim quidem scripta formula invenitur: „Grimaldus filius Pippini iunior in aula regis Childeberti Maior domus effectus est.“ Cfr. Chron. Moissiacens. Coenob. Du Chesne III, p. 136 B. Verbo domus plane omisso ita legitur in Adonis Viennensis Chron. p. 190 ed. Basil. 1568: „Franci in incertum euntes Ebrunum in hac dignitate, ut maior esset in aula regia constituunt.“ — Porro „Maior domo in aula regis,“ exhibent Gest. Reg. Franc. c. 45 et c. 48, quam tamen scribendi varietatem scriptorum et liberariorum vel negligentiae, vel vero etiam inscitiae tribuendam puto.

5) Frdgr. Chron. c. 24. c. 84. c. 91. c. 99. c. 101, ubi „Maior domus palatii super Francos.“ — Vita St. Leodegarii c. 12, Du Chesne I, p. 608. — Gest. Reg. Franc. c. 45. — ibd. c. 47, ubi perperam „Maiorem domum Palatio.“ Porro „Maior domus in Palatio“ Gest. Dagoberti I, c. 48. — Vita beat. Pippin. Du Chesne I, p. 598 C. —

6) Mabillon Annales St. ord. st. Benedict. l. 15, c. 29.

7) Fredgr. Chron. c. 79. — Praeterea formula „Maior domus Palatii“ ex bis Fredegarii (Chron. c. 100) verbis, ubi de Pippino post proelium Textriciense loquitur, fortasse explicari potest: „Post haec autem Pippinus Theodoricum regem accipiens cum thesauris et domum Palatii, omnia peragens in Austriam remeavit.“

8) Fredegr. Chron. c. 88: „Gradus honoris Maioris domus in Palatio Sigiberti et omni regno Austrasiorum in manu Grimoaldi firmatus est vehementer.“ —

9) Vit. St. Bathildis, Du Chesne I, p. 666 C. —

10) Vit. St. Ursuari, ibd. p. 688 A. —

11) Vit. St. Martini, ibd. p. 655 B. —

12) Vit. St. Philiberti ibd. p. 651 B. —

13) Libell. de Mai. Dom. reg. Du Chesne II, p. 2 B.

14) Aimoin. hist. Franc. 4, 47. —

15) Vita St. Eligii Du Chesne I, p. 632 C. ibd. p. 634 B. — Vit. St. Remacli, ibd. I, p. 645 A. —

16) Fragmt. hist. auct. incert. ibd. I, p. 784 B.

17) Aimoin. hist. Francor. 4, 14. —

18) Fredegar. Chron. c. 55, „Ermenarius, qui gubernator palatii Chariberti, filii Chlotharii erat.“

19) Chron. Pauli Warnefridi (Diaconi) de episc. Mettensibus, Freheri corpus hist. Franc. vet. Tom I, p. 175, ubi Arnulfus moderator Palatii nominatur. De Floro quoque, qui sub Theodorico I vixit, quemque plures Maiorem domus putarunt, auctor Vitae St. Mauri avertit: „omnia iussus a Rege Palatina disponit moderamina.“ —

20) Maiores domus sine additamento „Rectores“ nominantur in Vit. St. Leodegarii c.

4, Du Chesne I, p. 602: „ne de una provincia *Rectores* in aliam introissent.“ — Aimoin. hist. Franc. 4, 26 Sigibertum a Dagoberto I. patre Austrasiis praepositum fuisse narrat, „ut fungeretur *rectoris munere* cum regni honore“; et deinde subiungit: „Tutores duos filio delegavit, Chunibertum, Coloniae urbis praefulem, et Adalgisum *Palatii rectorem*“. In Vit. St. Licinii, Du Chesne I, p. 645 B et Vit. St. Landeberti, ibd. p. 674: regni Proceres adeo „*Rectores Palatii*“ nominantur. Item St. Leodegarius et Ebroinus *Rectores Palatii* nuncupantur in Vit. St. Leodegarii c. 5 et 8, Du Chesne I, p. 618 et 619, quo ultimo loco Maioris domus nomen adiicitur: „Ita ergo *Rector Palatii et Maior domus* effectus est.“ — Pippinus I in ipsius Vita saepius non, nisi *Rector* appellatur. Du Chesne I, p. 595. —

21) Mabillon Annal. St. ord. St. Benedict. l. 14, c. 33: „Desiderius Cadurcorum sanctissimus praeful ad Grimoaldum scripsit epistolam Maiorem domus Sigiberti Aufriae regis, dominum illustrem, totius Aulae immo et *regni rectorem* suumque Patronum appellans eumque non secus ac regem eminentiae excellentiaeque titulis honoratus.“ —

22) *Dux Palatii* Adalgisus ille nominatur, quem Dagobertus filio Sigiberto simul cum Chuniberto, Coloniae pontifice, „ad regnum gubernandum instituit“ et qui propterea a nonnullis Maiorum domus numero, quo iure nescio, adscribitur. Fredgr. c. 75. Gest. Dagoberti I, c. 32. — De Erchinoaldo Maiore domus auctor Vitae St. Boboleni, Du Chesne I, p. 659 dicit: „qui tunc *Francorum Ducatus* praerat et omnia Palatina officia suo modamine procurabat.“

23) Vita beati Pippini Du Chesne I, p. 594 B. — Libell. de Maior. Dom. ibd. II, 2 B. Ita Wulfoaldus Maiordomus apud Fredegar. in Chron. c. 93, c. 94, c. 95, non, nisi *dux* nominatur; contra vero in Vita St. Leodegarii c. 5, Du Chesne I, p. 605 *Maior domus*.

24) Gest. Reg. Franc. c. 42. c. 43. c. 48. Pass. St. Ragneberti. Du Chesne I, p. 626 A, ubi tamen „*Dominatus*.“ —

25) Geryasii Tilberiensis Excerptum Otiorium Imperialium, Du Chesne III, p. 364 C. —

26) Comitum Palatii nomen Ebroino tribuitur in Vit. St. Preiecti, Du Chesne I, 673 C. — Vit. St. Draufii, ibd. p. 680 C. et Warnario, Aimoin. hist. Franc. 4, 6.

27) Aimoin. hist. Franc. 3, 4. —

28) Vita St. Preiecti, Du Chesne I, p. 673 C. Depravatum et corruptum ibi verbum legitur ita: „*Seniiovore*.“ Neque tamen dubito, quin Maior domus etiam *Senior domus* nuncupatus fuerit, idque propterea, quod Proceres Francorum saepius *Seniores* nominantur, e. g. Greg. Tur. 6, 31, quo in loco Senioribus „*minor populus*“ quodammodo opponitur; ibd. 7, 33; ibd. 4, 27. *Seniores* urbis, ibd. 8, 21. *Archiseniores* principum, Vita St. Faronis, Du Chesne I, p. 569 C. — Vit. St. Bathildis, ibd. 666 C. —

29) Hoc nomen primus Gregorius Tur. 2, 9 affert ex historia Sulpitii Alexandri, qui Sunnonem et Marcomerem Francorum, ut putant, quondam duces „*Subregulos*“ nominat. Deinde in histor. epitom. c. 11 Wiomadus, qui rege Childerico I, patre Chlodovei I, vixit, *Subregulus* praedicatur; quod quantam *Pertzio Wiomadum* Maioribus domus adscribendi

potestatem tribuerit (cfr. eius: *Geschichte der Merowingischen Hausmeyer*) vix intelligo. Maioribus domus *Subregulorum* nomen re vera tribuitur: Vita St. Leodegar. c. 8. Du Chesne I, p. 619. Vita St. Audoeni ibd. p. 638 A. Mabillon Annal. St. Ord. St. Benedict. l. 14, c. 26. Gregorii Pontificis ad Carolum Martell. Epist. 1 et 2, Du Chesne III, p. 703 B et 704 B. Quam falsa vero sit *Natalis Alexandri* de nomine *Subreguli* sententia, ita quidem de Carolo Martello differentis: (hist. Eccles. Secul. VIII, cap VII, Artic. 4, Tom. V, p. 721) „tunc Franciam regebat Carolus Maior-domus, quem propterea Gregorius III Pontifex in Epistolis ad ipsum datis Subregulum vocat, titulo *hactenus apud Francos inusitato*, medioque inter Maioremdomatum ac Regiam dignitatem“, quam falsa igitur sit haec sententia, inde satis patet, quod iam priores scriptores et ipse Gregorius hoc nomen non ignorabant. —

30) Vit. St. Fursei, Du Chesne I p. 657, C. —

31) Chron. Isidori Pacensis, Du Chesne I, p. 786 A. Ibi Carolus Martellus „*Consul Franciae interioris Austriae*“ praedicatur. —

32) Vita St. Preiecti, ibd. I, p. 673, B.

33) Gest. Reg. Franc. c. 51, ubi in textu quidem ipso ita legitur: „Theudoaldo enim fugato Ragenfredum in *Maioremdomatum* elegerunt.“ In margine vero adnotata sunt haec: „*in Principatu Maioris palatii.*“ —

34) Vita St. Ansberti, Du Chesne I, p. 683, C.

35) Annal. Mettens. ad ann. 688, ibd. III, p. 263, B. —

36) Vita St. Audoeni, ibd. I p. 637, C. —

37) Vita St. Wandregisili, ibd. p. 640, B. —

38) Ita auctor fragmenti histor. Du Chesne I, p. 784, B, *Maiores domus Praefectos Palatio nominat et adicit: „qui Maiores domus dicebantur.“* — Item auctor Vit. St. Eligii, ibd. p. 634, B, adnotavit: *sive, ut vulgo dicitur, Maiordomus.*“ — Mabillon Annal. St. ord. St. Benedict. l. 12, c. 62, ubi de St. Furseo ita differitur: „In Galliam traiecit, ubi a Chlodoveo Francorum rege et Erchinoaldo patricio, seu praefecto Palatii, quem *Maiorem domus alio nomine vocant*, honorifice acceptus est.“ —

§. 5.

1) Greg. Tur. 6, 9. —

2) Ibid. 6, 45. —

3) Ibid. 9, 30. —

4) Cfr. Fredegr. Chron. c. 24 et c. 25: „Dum facere non audes, proximo temporis *Domini nostri* pro eis, quae facis, iungent ad proelium.“

5) Ibid. c. 40. —

6) Greg. Tur. 8, 33. —

7) Vita St. Austregisili, Du Chesne I, p. 549, B.

8) Vita St. Lupi, ibd. I, p. 563, A. —

9) Vita St. Audoeni c. 5, ibd. 635, C. — Haec et similia quatenus vulgari quoque illi de *Maiore domus* sententiae, de qua in capite I disseruimus, repugnent, a nemine non intelligitur. —

- 10) Fredgar. Chron. c. 62. Gest. Dagoberti c. 24. —
 11) Fredgr. Chr. c. 79 et c. 80.
 12) Fredgr. Chr. c. 85. et Gest. Dag. c. 47.
 13) Vita I St. Leodegar. c. 4. Vita II eiusd. c. 4 et c. 5. Exstant nimirum duae St. Leodegarii Vitae a diversis auctoribus conscriptae, quae utraeque apud Du Chesnium Tom. I, p. 600 sqq. inveniuntur. —
 14) Gest. Reg. Franc. c. 41. Gest. Dagobrt. c. 2 et c. 14. Vita Beati Pipp. Du Chesne I, p. 594, C. Erchanberti Fragment. ibd. p. 780 B. Fragmt. hist. ibd. 782 A. —
 15) Fredgr. Chron. c. 86. — Aimoin. hist. 4, 38. —

§. 6.

- 1) Tac. German. c. 12: „eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddant ect.“ ibd. c. 7: „Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt.“ —
 2) Fredgr. hist. epit. c. 58 et c. 59.
 3) Fredgr. Chron. c. 28: „An. XI regni Theoderici *subrogatur* Maior domus Claudius.“
 4) Ibid. c. 101: „Grimoaldus iunior cum Childeberto rege Maior domus Palatii super Francos *electus est*.“
 5) Ibid. c. 88: „Gradus honoris Maioris domus ——— in manu Grimoaldi *confirmatus est* vehementer.“ —
 6) Ibid. c. 105: „Eo tempore *elegerunt* in honorem Maioris domus quendam Francum, nomine Raganfredum.“ —
 7) Fredgr. Chron. c. 54: „Eo anno Chlotharius cum proceribus et leudibus Burgundiae Trecaassinis coniungitur, cum eorum esset sollicitus, si vellent iam Warnachario discesso alium in eius honoris gradum sublimare. Sed omnes unanimiter denegantes, nequaquam se velle Maiorem domus eligere, Regis gratiam obnixè petentes, *cum Rege transagere*.“ —
 8) Gest. Reg. Franc. c. 42: „Eo tempore defuncto Gundualdo, Maiore domus inclito, *Dagobertus* Erconaldum, virum inlustrem, in Maiorem domatus statuit.“
 9) Ibid. c. 43: „Post haec autem *Sigibertus* rex Austrasiorum Pippino defuncto Grimoaldum filium eius in Maiorem domatus statuit.“ Cfr. Fredg. Chron. c. 88. —
 10) Fredgr. Chron. c. 92: „Franci autem in incerto vacillantes *accepto consilio* Ebruinum in huius honoris curam et dignitatem statuunt.“ Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 45. —
 11) Gest. Reg. Franc. c. 47: „Franci vero *consilio ascepto* Warattonem virum inlustrem in loco eius *cum iussione regis* Maiorem domus Palatii constituunt.“ Fredgr. Chron. c. 98. —
 12) Fredgr. Chron. c. 95: „Franci vero Leudesium filium Erchonaldi nobilem in Maioris domus dignitatem statuunt *per consilium beati Leudegarii et sociorum eius*.“ De Gerino fratre Leodegarii cfr. Gest. Reg. Franc. c. 45. —
 13) Fredgr. Chron. c. 27. —
 14) Fredgr. Chron. c. 89: „— ibique cunctos Nanthildis singillatim attrahens Flaucatus genere Francus Maior domus in regno Burgundiae *electione pontificum et cuncto*

rum ducum a Nanthilde regina et hoc gradu honoris stabilitur." Cfr. Gest. Dagobr. c. 48. —

15) Ex hoc genere erant *Erchinoaldus* et *Bertharius*, quorum prior quidem *Dagoberto* regi consanguineus fuisse narratur, (Fredgr. Chron. c. 84. Gest. Dagob. c. 48.) alter véro *Warattonem* socerum in hoc honore secutus est. (Fredgr. Chron. c. 99. — Gest. Reg. Franc. c. 48. —)

16) Gest. Reg. Franc. c. 48. Libell. de Mai. domus Du Chesne II. p. 2.

17) Gest. Reg. Franc. c. 50. Fredgr. Chron. c. 103.

§. 7.

1) Greg. Tur. 6, 9.

2) Fredgr. Chron. c. 41. At haec rerum mutatio non nimis placuisse videtur leudibus, quippe cum defuncto *Warnachario* Maiorem domus restituere in eius locum negarent. Cfr. Fred. Ch. c. 54. (§. 6. Not. 7.) —

3) Vit. St. Leodegar. c. 4. Du Chesne I. p. 604, ubi leudes cum alia multa, tum fere haec a *Childerico II* expetunt, „ut unius cuiusque patriae legem vel consuetudinem deberent sicut antiquitus iudices conservare, et ne de una provincia Rectores in aliam introissent, neque unus ad instar *Ebroini* tyrannidem assumeret et postmodum sic ille contubernales suos despiceret; sed dum mutuam sibi successionem culminis habere cognoscerent, nullus se aliis anteferre auderet.“ —

4) Cfr. Fredgr. c. 27. Quod vero nonnulli hanc *Protadii* caedem propterea a leudibus patratam fuisse crediderint, quod *Protadius Romanus* a *Brunichilde* sola Maior domus constitutus fuerit, haud scio, an dissentire liceat. Nam quamquam „instigante *Brunichilde*“, neutiquam tamen sine ullo leudum consensu *Protadius* eligi potuit. Neque quod *Romanus* fuerit, idoneam caedis causam praebuisse videatur, quippe cum uterque populus, *Franci* et *Romani*, iam dudum ita in unum quasi corpus coaluissent, ut *Romanis* fere idem ad ipsos summos civitatis honores pateret aditus, ac *Francis*. *Richomeres* quidem, *Patricius*, *Romanus* erat. (Fredgr. Chron. c. 29.) Neque sane *Claudium Romanum*, quamvis hominem prudentem et omnibus virtutibus exornatum (Fredgr. Chron. c. 28.) *Protadium* sequi unquam passi fuerint leudes, si *Protadium*, quippe *Romanum*, interficiendum censuissent. — Exercitus fortasse *Protadii*, qui, priusquam Maior domus constitutus fuisset, „vehementer in Palatio ab omnibus veneraretur,“ (Fredgr. Chron. c. 24.) hoc munere ornatus contra, „fiscum nimium stringens, de rebus personarum ingeniose fiscum vellens implere et se ipsum ditare: quoscunque de gente nobili reperiret totos humiliare conabat, ut nullus reperiretur, qui gradum, quem adripuerat, potuisset adsumere,“ (Fredgr. Ch. c. 27.) exercitus igitur *Protadii* iam dudum omnibus invisi contumaciam et pervicaciam, quippe solius omnium cum *Theudoberto* pugnam inire capientis, opportunitatem ipsum interficiendi praebuisse putaverit. —

5) Fredgr. Chron. c. 94: „*Ebroinumque* et ipsum tondunt et in *Burgundiam Luxovium* Monasterium invitum dirigant.“

6) Fredgr. Chron. c. 85: ubi de *Pippino I* et *Chuniberto*: „— — omnesque leudes

Austrasiorum secum uterque prudenter et cum dulcedine adtrahentes, eos benigne gubernantes eorum amicitiam constringunt semperque servandam.“ —

7) Fredgr. Chron. c. 45. Utrum vero *Gundelandus* quoque Maior domus re vera fuerit, ut Pertzius putavit, difficillimum sane est diiudicatu. Nam praeter Erchanberti Fragmentum, Du Chesne I, p. 780 B, nemo unquam eum Maiorem domus nominat, nisi forte idem fuerit, atque qui *Gundoaldus* (*Godolandus*, *Gundobaldus*) in Gest. Reg. Franc. c. 41 appellatur. —

§. 8.

- 1) Vita St. Remacli, Du Chesne I, p. 643, C, p. 644, C, p. 645, A. —
- 2) Vit. St. Boboleni, ibd. I, p. 659, B.
- 3) Passio St. Bercharii, ibd. I, p. 677, C: „Auxiliantibus vero sibi St. Leodegario Episcopo, *Almarico* Maiore domus, *Fulcoaldo* quoque et *Wulfaudo*, *Nivardo* etiam et *Attelano* Episcopis.“ Cum vero *Almaricus* nullo alio unquam loco Maior domus nominetur, totum hunc seu per librariorum negligentiam, seu per temporis iniquitatem depravatum locum ita restituendum putaverim, ut primum quidem nomen *Maioris domus* ad verbum *Wulfaudo* pertineat, deinde vero nomina *Fulcoaldo* et *Wulfaudo* unum ex altero corrigendum sit, ita quidem, ut syllabae finales —*oaldo* ad *Wulf*—, contra vero —*aud* ad *Fulc*— sint reponendae, et legendum sit: „Auxiliantibus vero sibi St. Leodegario episcopo, *Wulfoaldo* Maiore domus, *Fulcaudo* quoque et *Almarico*, *Nivardo* etiam et *Attelano* episcopis,“ idque scilicet hanc potissimum ob causam, quod *Wulfoaldus* saepius *Maior domus* nominatur, (Vita St. Leodegar. c. 5. Du Chesne I, p. 605.) et nomen *Fulcaudi* etiam in Vit. St. Boniti, Du Chesne I, p. 686, B legitur. —
- 4) Vita St. Philiberti, Du Chesne I, p. 651, B.
- 5) Fredgr. Chron. c. 24. —
- 6) Ibid. c. 27. —

§. 9.

- 1) Fredgr. c. 80: „Facultates plurimorum, quae iussu Dagoberti in regno Burgundiae et Neprico inlicite fuerant usurpatae, et Fisci ditionibus contra modum iniustitiae redactae, consilio Aegani omnibus restaurantur.“
- 2) Vita St. Mauri, Du Chesne I, p. 541, B. —
- 3) Marculf. Form. 1, 12. (Cfr. Cap. III. §. 2. Not. 15. —)
- 4) Ibid. 1, 32. (Cfr. Cp. III. §. 2. Not. 17. —)
- 5) Greg. Tur. 6, 22: — „Post duos vero menses Nonnichius comes, qui hoc scandalum seminaverat, sanguine percussus interiit, resque eius, quia absque liberis erat, diversis a rege concessae sunt.“ Huc fortasse referri potest ille Fredegarii locus, ubi de Chrothario, Longobardorum rege, dicitur: (Fred. Chron. c. 71.) — „de villis et opibus Fisci, quas habuerat, Chrotharius ei (Gundebergae uxori ipsius olim repudiatae) restaurare praecepit.“ — Porro Greg. Tur. 5, 3: „Godinus autem, qui a sorte Sigiberti se ad Chilpericum translulerat, et multis ab eo muneribus locupletatus est, caput belli istius fuit: sed in campo

victus primus fuga delabatur; villas vero, quas ei Rex a fisco in territorio Sueffionico indulserat, abstulit, et Basilicae contulit beati Medardi.“ —

§. 10.

1) Cfr. de Praefecto urbi Tac. Annal. VI, 10. f. f.; ibi Tacitus virtutem L. Pisonis magnis efferens laudibus ita pergit oratione: „sed praecipue ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentiam parendi graviolem mire temperavit.“ C. 11: „Namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet ac subitis mederetur. ferantque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, et ab Tarquinio Superbo Spurius Lucretium impositos. dein consules mandabant.“ Ita quidem erat ab initio Praefectus urbi. Seriori vero rei publicae temporibus, et Augusto imperante, quod fuerit Praefecti urbi munus, cfr. Reiz's Vorlesungen über die röm. Aterthümer, p. 448. —

2) Cfr. Die Geschichten der Teutschen von C. A. Menzel. Bd. II. Breslau 1817 p. 379: „An der Spitze der Kriegsleute oder des königlichen Hauses stand der Hausmeyer (Maior domus) nicht als Hofbeamter, sondern als Anführer des Heers, zunächst nach dem Könige. Wie in der alten grundherrlichen Verfassung ein Wirthschafter oder Meyer das Gefinde zu Hause und im Felde befehligt hatte, so in diesem größern und veredeltern Hausstande des Königs der Hausmeyer das gesammte Gefolge. Auf dieses waren ursprünglich seine Geschäfte beschränkt.“ —

§. 11.

1) Fredgr. Chron. c. 54. (cfr. c. III, §. 6. Nt. 7.) Aimoin. Hist. 4, 15. —

2) Marculf. Form. 1, 24: „Rectum est, ut regalis potestas illis tuitionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quod nos apostolico aut venerabili viro illo de civitate aut de monasterio in honore sancti illius constructo, cum omnibus rebus vel hominibus suis aut gastindis, vel amicis, iuxta eius petitionem propter malorum hominum inlicitas infestationes, sub sermone tuitionis nostrae visi fuimus recepisse, ut sub Mundebunde vel defensione inlustri viri illius Maioris domus nostrae cum omnibus rebus praefatae Ecclesiae aut Monasterii quietus debeat residere ect.“ cfr. Hieron. Bignon. not. ad Marculf. Baluz II, p. 907 sqq. —

3) Ibid. 1, 34: „Suggerendo piissimo atque praecellentissimo Domino illo Regi et Maiorem (ita male, puto, in textu; potius Maiori) domus illo a servis nostris pagensibus illis, quorum subscriptionibus vel signacula subtus teneantur inserta ect.“ —

4) Vita St. Preiecti, Du Chesne I, 673, B: „Cum iam meridianam plagam sol lustrasset et ad occasum adpropinquaret et horae, quod est consuetudinis iam in promptu cererentur, ut solemnes vigilias Paschae celebrari licitum esset ex regali permisso vel Maiorinatu, Pontifices vel Sacerdotes, ect.“ Sermo nimirum est de Childerico II et Wulfoaldo, qui tunc Maioris domus munere fungebatur. —

5) Fredgr. Chron. c. 42. —

§. 12.

- 1) Qui sint hi tituli et in Salica et in Ripuariorum lege cfr. Cap. II, §. 4. not. 4. —
- 2) Marc. Formul. 1, 18. „de regis Antruffione“ f. f. „Et si quis fortasse eum interficere praesumpserit, noverit se vuirgildo suo solidis sexcentia esse culpabilem iudicetur“ cfr. Leg. Sal. tit. 44, 4. et 66, 4. Ripur. tit. 11, 1. — Hiron. Bignonii not. ad Marc. Baluz. II, p. 896. —
- 3) De Legis Sal. origine et emendatione sub Chlodoveo cfr. *Godfr. Guil. Leibnitii de orig. Francorum* §. 18. sq. simul cum not. *L. G. Eccardi edit. leg. Frcic.* p. 256. f. f. — *Canciani Vol. II. p. 3. sqq.* —
- 4) *Lex Rip. tit. 88. Lex Burgundionum, praef. cfr. Cap. I, §. 2. Not. 8. Praeterea, quod supra adnotavi, Gundebadae plures Codd. MSS. verba „domestici et maiores domus nostrae ect.“ plane omisisse, testari videtur, de Maiore domus prius sermonem non fuisse potuisse, sed eum seriori demum tempore accessisse; quamquam, utrum hoc loco de Maiore domus omnino cogitari possit, adhuc sum ambiguus.* —
- 5) *Vita St. Mauri, Du Chesne I, p. 539, A. B. et 540, A. Neque Auctor Annalium St. Ord. St. Benedict., qui l. 5, c. 29, eiusdem Flori pietatem praedicans quomodo vitam monasticam seculari praetulerit potestate narrat, de Flori Maioris domus munere quidquam commemorat.* —
- 6) *Cfr. Luden l. 1. p. 180: „So lange die Könige Heerführer blieben, und an der Spitze der Leute an großen Tagen erschienen, und so lange der Maior domus gewissermaßen nur ein Rechnungs-Führer, wenn gleich in einem eigenthümlichen Sinne, blieb: so lange konnte dieser auf die Verhältnisse des Staats keinen Einfluss erhalten. Also ist wohl begreiflich, wie ein Jahrhundert und darüber hinlaufen konnte, ohne dass ein Maior domus irgend bedeutend erscheint, und dass die Geschichte nur Herzoge, Grafen, Bischöfe und Weiber zeigt.“* —
- 7) *Cfr. Malscow Geschichte der Teutschen. Bd. II, p. 61. §. 41, ubi tamen de Theoderici, Ostrogothorum regis, Maiori domus sermo est. — Ibid. p. 328. §. 35. de pueris regis: „— Die meisten von diesen Bedienungen haben ihren Ursprung aus den alten Sitten der Teutschen, immassen auch andere Grofse bey ihnen dergleichen gehabt.“* —
- 8) *Vopiscus Aurel. c. 7: „Idem apud Maguntiacum Tribunus legionis sextae Gallicanae, Francos irruentes cum vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemtis sub corona vendiderit. Unde iterum de eo facta est cantilena: Mille Francos, mille Sarmatas semel et semel occidimus ect.“ — de triumpho cfr. ibd. c. 35. f. f. „Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatae, Franci.“* —
- 9) *Vopisc. Prob. c. 12. „Enimvero quae mundi pars est, quam ille non vincendo didicerit? — . . . testes Franci, inuisi fratri paludibus ect.“* —
- 10) *Cfr. Trebell. Pollion. Gallien. (inter script. hist. August.) c. 7: „— et cum multis auxiliis Postumius iuaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino processit ect.“ Cfr. de Francorum incursionibus in Galliam et Hispaniam, Malscow I, p. 190. Not. 5.*

- 11) Hist. epit. c. 11. —
 12) Cfr. C. III, §. 4. Not. 29. —
 13) Greg. Tur. 2, 12. Gest. Reg. Franc. c. 6. Et Aimoinus de Wiomado nihil dixit, nisi „eum ex proceribus Francorum *Childerico familiaritatis vinculis ita colligatum fuisse, ut ex eius consilio omnia egerit.*“ Aimoin. hist. 1, 7. —
 14) Greg. Tur. 2, 42: „Erat autem tunc Ragnacharius rex apud Camaractum tam effrenis in luxuria, ut vix vel propinquis quidem parentibus indulgeret. Is habebat *Faronem consiliarium* simili spurcitia lutulentum ect.“ Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 18.
 15) L. Iac. Chifflet. Anastasis Childerici I., p. 121: „Erat igitur, mea quidem sententiâ, Wiomadus *Childerici regis referendarius et sic custos annuli Regii*, quod munus in prima regum stirpe frequens et solenne fuit.“ —

P A R S I I.

CAP. I.

§. 1.

1) Cum tota haec de origine Francorum disputatio nimis aliena a consilio nostro et nimis longa sit, nonnullos, qui de hac re disseruerunt, scriptores nominare sufficiet. Praecipui igitur sunt fere hi: *Papirii Massoni* libellus de origine Regnorum et gentium Galliae, Du Chesne I, p. 128. — *Nic. Vigneri* Tractatus de statu et origine veterum Francorum, ibd. I, p. 154. — *Herm. Comit. Nuenarii* brevis narratio de origine et sedibus priscorum Francorum, ibd. I, p. 172. — *Philipp. Cluveri*. disquisit. de Francis et Francia ibd. I, p. 175. — *Pontani* originum Francicarum lib. VI. Harderici 1616, 4. — *Godofr. Guil. Leibnitii* de origine Francorum Disquisitio; adiect. edit. Legum Francor. Sal. et Rip. *Ioh. Georg. Eccardi*, Francf. et Lipf. 1720. — Cfr. Bibliotheca hist. *Struvio-Buderiana* p. 317. —

2) Cfr. Caes. d. bell. gall. VI, 23: „atque ubi quis ex principibus in concilio se dixit duces fore, ut, qui sequi velint, profiteantur, confurgunt ii, qui *et causam et hominem probant*, suumque auxilium pollicentur.“ — Tac. Germ. c. 7: „nec regibus *indefinita aut libera potestas*: et duces *exemplo* potius, quam imperio; si prompti, si conspici, si ante aciem agant, admiratione praesunt.“ —

3) Cfr. *Leibnit.* disq. de orig. Franc. c. 18: „Manifestum etiam est, tunc *non dum* reges habuisse, sed ut postea Saxones in hac nostra Germania: *Quot pagos, tot paene duces*, ut ait antiquissimus poeta Saxo. Nam in ipsa praefatione legis refertur, ex diversis pagis *Legatos* convenisse ad condendam legem: *Regis aut principis* ibi mentio nulla est.“ Cfr. ad hunc locum *Eccardi* adnotationem, in qua copiose de primis Francorum regibus disputavit, ed. leg. Franc. p. 256. —

4) Sunt verba *Bedae* in hist. eccles. gentis anglicae lib. 5, c. 11: „Antiqui Saxones regem non habent, sed *Satrapas* plurimos suae genti praepositos, qui ingruenti belli articulo, mittunt aequaliter sortes, et quem fors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur et huic obtemperant; peracto autem bello rursus aequalis potentiae omnes satrapae fiunt.“ —

5) Servata nobis sunt *Sulpitii Alexandri* Fragmenta à Gregorio Turon. hist. l. 2, c. 9, qui ipse de his testimoniis ita iudicavit: „Cum autem eos *regales* vocet, nescimus, utrum *reges* fuerint, an *vices tenuerint regum*.“ *Frigeridi* et *Orosii* quaedam fragmenta ibidem exstant, de quorum priori Gregor. dixit: „Movet nos haec causa, quod cum aliarum gentium reges nominat, cur non nominet et Francorum.“

6) Testis est notissima illa de urceo post proelium ad *Suessionas* historia, quam Greg. Tur. 2, 27. narrat. Cfr. Gest. Reg. Frc. 10. Hist. epit. c. 16. Vita St. Remigii, Du Chesne I. p. 525. A. — Aimoin. 1, 12. —

7) Greg. Tur. 2, 31. „Quem sacerdos accersitum, secretius coepit instigare: — ut deum verum factorem coeli et terrae crederet, idola negligeret, quae neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait: libenter te sanctissime pater audiam, sed restat unum, quod *populus, qui me sequitur, non patitur relinquere deos suos* ect.“ Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 15. Aimoin. 1, 16. —

8) Greg. Tur. 3, 7. —

9) Greg. Tur. 3, 11: „Post haec *Chlotharius* et *Childebertus Burgundius* petere desinant; convocatusque *Theodericus* in auxilium eorum ire noluit. Franci vero, qui ad eum aspiciabant, dixerunt: „„*Si cum fratribus tuis in Burgundiam ire despexeris, te relinquimus et illos satius sequi praeoptamus*.““ —

10) Greg. Tur. 4, 14: „— — Franci autem nec hoc adquietere voluerunt. Quibus ait *Chlotharius* rex: „„desistite, quaeso, desistite ab hac intentione; verbum enim directum non habemus, nolite ad bellum ire, in quo disperdamini. *Tamen si eo ire volueritis, spontanea voluntate ego non sequar*.““ Tunc illi ira commoti contra *Chlotharium* regem super eum inruunt et scindentes tentorium eius, ipsum quoque conviciis exasperantes ac vi detrahentes interficere voluerunt, si cum eis abire differret. Haec videns *Chlotharius* *invitus* fuit cum eis.“

11) Greg. Tur. 5, 29. Gest. Reg. Frc. c. 34. Aim. 3, 32.

12) Greg. Tur. 5, 26. (*Childeberto* II in *Austrasia* regnante.) „— — Sed et dum filii eius *Bursolenus* et *Dodo* ob *crimen Maiestatis* laesae iudicio mortis suscepto ect.“ — — *Ibd.* 5, 28: „— — Sed haec per poenitentiam purgari censentes *Episcopi*, illud est additum, quod *essent rei Maiestatis* et patriae proditores.“ — — De urceo ad *Suessionas* cfr. Not. 6. —

13) Cfr. *Die Geschichte der Deutschen von C. A. Menzel. IIter Band. Breslau 1817.* p. 386: „Für den König der obersten Richter, dem zugleich die Vollziehung der Rechtsprüche zukömmt, und in dessen Strafe die Ungehorsamen, so das Recht weigern, versallen, ist kein Wehrgeld bestimmt, wahrscheinlich darum, weil seine Person den übrigen nicht

gleichgesetzt, sondern als geheiligt angesehen, die Verletzung derselben daher als ein Staatsverbrechen mit dem Tode bestraft werden sollte. —

14) Quamquam de tempore, quo lex Salica condita fuerit, adhuc inter doctos disceptatur, eorum tamen sententia ad veritatem proxime accedere videtur, qui huius legis originem ante Chlodovei magni tempora ponendam putarunt. — Cfr. Pars I. Cap. III. §. 12. Not. 3. — Malsow, l. l. I, p. 391, § 45. —

§. 2.

1) Quod de Francorum ducibus Marcomere, Sunnone, Genebaudo et Pharamundo vel Priamo auctor Gest. Reg. Franc. c. 4. et hist. epit. c. 3. 4. 9. nobis tradiderunt, nemo fide digna habebit. Cfr. de his Georg. Eccard. l. l. p. 255 et 256. Gregorius contra de origine Francorum differens l. 2, c. 9. haec habet: „Tradunt enim multi eosdem de Pannonia fuisse digressos. Et primum quidem littora Rheni amnis incoluisse, dehinc transacto Rheno Thoringiam transiisse: ibique iuxta pagos vel civitates reges crinitos super se creavisse, de prima, et, ut ita dicam, nobiliore suorum familia.“ — Diversas de Pharamundo rege sententias collocavit Malsow l. l. p. 390, § 44. —

2) Quantopere ipsi Germani ad regum et principum filios respexerint, Tacitus his fere verbis testatur: (de Mor. Germ. c. 13.) „Insignis nobilitas, aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis assignant.“

3) De *Amalis* cfr. Malsow II, *Anmerkung* XIII, p. 91 sq. —

4) De *Agilolfingis* cfr. Malsow II, *Anmerk.* XXXV, 4, p. 238. —

5) Greg. Tur. 2, 9. de Merovei cum Chlogione cognatione nihil dixit, nisi: „De huius stirpe quidam Meroveum regem fuisse adserunt.“ Historia epitom. contra de eiusdem origine haec fide, credo, dignissima profert c. 9: „Fertur super litore maris aestatis tempore Chlodeone cum uxore resedente meridie, cum uxor ad mare lavatum vaderet, Meroveho bestiam Neptuni Minotauri similem eam adpetisse; cumque in continuo aut a bestia aut a viro fuisset concepta, peperit filium Meroveum nomine, per quem reges Francorum postea vocantur *Merovingi*.“ — Hinc fortasse eorum orta est opinio, qui Meroveum unum ex Chlodionis filium putarunt. Cfr. Malsow I, p. 431, § 26, Not. 3 et p. 435, § 29. —

6) Greg. Tur. 2, 12. Gest. Reg. Franc. c. 6. Hist. epitom. c. 11. Gest. Franc. Roriconis Monach. l. I, Du Chesne I, p. 801 et 802. Aimoin. 1, 7. — Praeterea Childericum re vera Francorum quondam regem fuisse inde colligere licet, quod a. 1653 ipsius sceletus repertus fuisse fertur, de quo cfr. Anastasis Childerici primi, Francorum regis, sive thesaurus sepulchralis Tornaci Nerviorum effossus et commentario illustr. Auctore L. Iac. Chiffletio Antwerpiae 1655, quo in libro copiosius de gestis et factis Childerici agitur. —

7) Greg. Tur. 2, 18: „Igitur Childericus Aurelianus pugnans egit. — — Veniente vero Odovaccio Andegavos Childericas rex sequenti die advenit, interemptoque Paulo comite civitatem obtinuit.“ —

8) Cfr. exempli causa Gest. Dagbrt. c. 14, ubi de Dagoberto dicitur: „Australi vero Franci superiores congregati in unum Dagobertum super se regem statuerunt.“ — Vit. St. Bathildis, c. 2. (Du Chesne I, p. 666.) narratur, post mortem Chlodovei II Chlotharium

eius filium, „suffragantibus praecellentissimis principibus cum reliquis senioribus, vel ceteris, quam plurimis regni honorem quaerentibus regem fuisse electum.“ Fredgr. c. 101: „Mortuus est autem Theodoricus rex; regnavit autem annos XIV. Chlodoveum filium eius parvulum elegerunt in regnum.“

9) Greg. Tur. 9, 36: „Igitur anno, quo supra, regni sui Childebertus rex morabatur cum coniuge et matre sua intra terminum urbis, quam Strataburgum vocant. Tunc viri fortiores, qui in urbe erant Sueffionica sive Meldensi, venerunt ad eum, dicentes: „„Da nobis unum de filiis tuis, ut serviamus ei: scilicet ut de progenie tua pignus retinentes nobiscum, facilius resistentes inimicis, terminos urbis tuae defendere studeamus.““ — At ille gavifus ect.“ —

10) Erchanberti Fragmt. Du Chesne I, p. 780 C: „— — Illis namque temporibus ac deinceps Gotefredus dux Alamannorum ceterique circumquaque duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eo quod non potuerunt Regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant.“ —

11) Greg. Tur. 1. 3, c. 14: „Mundericus igitur, qui se parentem regum adferebat, elatus superbia, ait: „„Quid mihi et Theodorico regi? Sic enim mihi solum regni debetur, ut illi: egrediar et colligam populum meum atque exigam sacramentum ab eis, ut sciat Theodoricus, quia rex sum ego, sicut et ille.““ Et egressus coepit seducere populum suum dicens: „„Princeps ego sum, sequimini me et erit vobis bene.““ Sequebatur autem eum rustica multitudo, ut plerumque fragilitati humanae convenit, dantes sacramentum fidelitatis et honorantes eum ut regem.“ — Cfr. hist. epitom. c. 37. Aimoin. 2, 8. — At sefellit rem eventus; Mundericus enim, quamvis perfido modo, iussu tamen Theoderici interficiebatur, et rustica multitudo facile dispellebatur, duce semet atque rectore destituta. —

12) Non defuerunt, qui de iure hereditario Merovingorum disputarent; quorum hos afferre mihi liceat: Mémoire pour établir que le Royaume de France a été successif-hereditaire dans la première race par Mr. Foncemagne; dans les Mémoires de littérature. ect. Tom. VI, p. 680; à la Haye 1724. — Hotomanni Francogallia c. VI, Regnum Francogalliae utrum hereditate an suffragiis deferretur, et de Regum creandorum more. p. 70 sq. — Claude Fauchet origines des dignitez ect. 1. I, chap. 1. 2. 3. — De regibus Francorum ante Chlodoveum magnum cfr. Histoire de France avant Clovis, par le Sieur de Mezeray à la Haye 1743. —

§. 3.

1) Greg. Tur. 2, 27. Hist. epit. c. 15. Gest. Reg. Fr. c. 9. Aimoin. 1, 12. —

2) Greg. Tur. 2, 27. „Multa deinde bella victoriasque fecit; nam decimo regni sui anno Thoringia bellum intulit eodemque suis ditionibus subiugavit.“ Gest. Reg. Franc. c. 10. —

3) Cum omnia haec satis sint nota, Chlothildis nimirum Chlodoveum ad fidem christianam perducendi pericula et quomodo tandem in summo proelii cum Allemannis ad Tolpiacum (Greg. Tur. 2, c. 37) discrimine auxilium Christi imploraverit Chlodoveus, cfr. de his: Greg.

Tur. 2, 28. 29. 30. 31. Hist. epit. c. 18. 20. 21. Gest. Reg. Franc. c. 11. 12. 14. 15. Gest. Francor. Roriconis Monach. l. II, Du Chesne I, p. 804 sq. Aim. 1, 13. 14. 15. 16. Vita St. Vedasti, Du Chesne I, p. 523 B. Vit. St. Remigii, Du Ch. I, p. 527 A. Quae quidem loca eadem fere continent, nisi quod in paucis, quae ad rem non pertinent, inter se discrepant. Ita auctor vitae St. Remigii illam de ampulla Rhemenfi narratiunculam solus profert, de qua cfr. Ioh. Jac. Chiffletii dissertatio de ampulla Rhemenfi. Antwerp. 1604. —

4) *Christ. Guil. Franz. Walchius*: dissert. de Clodoveo Magno ex rationibus politicis Christiano, Ienae 1751. — Si Chlodoveus intellexisset, fidem Christianam politicis Francorum rationibus profuturam esse, non video causam, cur coniugis, Chlothildis, precibus non prius satisfecerit. Potius Chlodoveus non, nisi rerum augustiis coactus, cum omni alio auxilio iam destitutus sibi videretur, solam et extremam salutis spem in eo positam esse opinabatur, cuius quae sit efficacia quaeque vis nondum erat periclitatus. Nam, nisi rem probaverit eventus, vehementer sane est dubitandum, an Christi cultorem sese fuerit professus Chlodoveus. Itaque hanc tam repentinam fidei conversionem non tam consilio, quam casus temeritate effectam fuisse putaverim. —

5) Greg. Tur. 2, 35. „Igitur Alaricus rex Gothiorum, cum videret Chlodoveum regem gentes assidue debellare, legatos ad eum dirigit, dicens: „„Si frater meus velit, infederat animo, ut nos Deo propitio pariter videremus.““ Quod Chlodoveus non respuens, ad eum venit. Coniunctique in insula Ligeris, quae erat iuxta vicum Ambaciensem territorii urbis Turonicae, simul locuti, comedentes pariter ac bibentes *promissa sibi amicitia* pacifici discesserunt.“ — Hist. Epit. c. 25. Aim. 1, 20.

6) Greg. Tur. 2, 37: „Igitur Chlodoveus rex ait suis: „„Valde moleste fero, quod hi *Arriani* partem teneant Galliarum. Eamus cum dei adiutorio, et superatis redigamus terram in ditionem nostram.““ Cumque placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu Pictavos dirigit. Ibi tunc Alaricus commorabatur ect.“ — Hist. epit. c. 25. Gest. Reg. Franc. c. 17. Aim. 1, 20. 21. —

7) Auxilium Chlodovei petebat rex Burgundionum Godigifilus contra suum ipsius fratrem Gundebaldum. Quod si quis expeditionis eventum cognoscere velit, cfr. Greg. Tur. 2, 32. 33. Gest. Reg. Franc. c. 16. Hist. epit. c. 22. 23. Aim. 1, 19.

8) Greg. Tur. 2, 36: „Multi iam tunc ex Galliis habere Francos dominos, summo desiderio cupiebant.“

9) Greg. Tur. 2, 38: „Igitur ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit et in basilica beati Martini tunica blatea indutus est et chlamyde imponens vertici diadema. — — — et ab ea die tanquam *Consul* et *Augustus* est vocitatus.“ Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 17. Aimoin. 1, 22. Aim. hanc Anastasium protulisse causam avertit: „quod complacuerit sibi et Senatoribus, eum esse *amicum imperatorum patriciumque Romanorum*.“ Quod vero Consulem creatum fuisse Chlodoveum scriptores tradunt, nescio, an *Mascovio* adstipuler, haec scilicet dicenti: (*Geschicht. dr. Teutsch. Buch XI. c. 14. not. 1. II Bd. p. 28.*) „Was in dieser Stelle das Wort *Consul* betrifft, so wird als eine ausgemachte Sache angenommen, dass Gregor die Worte *Consulatus* und *Patriciatus* als *einerley* gebraucht, welches

auch von andern geschehen, wie Pagius ad A. 508 n. 2. 3. 4. und Valesius Lib. VI, p. 299 sq. erwiesen.“ —

10) Cfr. de his quoque, quae iam Mascovius monuit (ibid. p. 29, Not. 3): „Die Muthmassungen, die darüber gemacht werden können, betreffen hauptsächlich die beyden Fragen: ob Clodoveus diesen Titel, um gleichsam unterm Schutz und Hoheit des Kaisers Gallien zu besitzen, oder nur ehrenhalber angenommen. Der Abbé des Camps hat den seltsamen Einfall gehabt, Anastasius habe Chlodoveum zum Reichsgehülften ernannt, und die Könige der Franken hätten seitdem ein beständiges Recht zum kaiserlichen Titel gehabt. Hr. v. Eccard hat ihn in der Vorrede zu seinen orig. doms. Austriae widerlegt.“ — Equidem puto, Abbatem des Camps in hunc errorem, si qui est, Gregorii verbis: „et ab ea die tanquam consul et Augustus est vocitatus“ inductum fuisse. At Mascovius deinde ita pergit: „Es scheint, als hätten die Kaiser dieses als ein Mittel gebrauchen wollen, den Schein einiger Hoheit des römischen Reichs in denen Provinzen zu erhalten, darinn die teutschen Fürsten mit ihren Nationen festen Fufs gefast. Bey Clodoveo aber konnte Anastasius auch wohl die Absicht haben, sich der Freundschaft eines Königs zu versichern, der allein im Occident im Stande war, Theodorico und der gesammten gothischen Macht die Waage zu halten.“ —

11) Interfecit nimirum Chlodoveus Sigibertum quendam simul cum filio, Chararicum cum filio, et Ragnacharium regem apud Camaracum cum fratre Richario, de quibus, praeter eorum crimina atque interitum, nihil fere a scriptoribus commemoratur. Cfr. Greg. Tur. 2, 40. 41. 42. Gest. Reg. Franc. c. 18. Hist. epit. c. 26. 27. 28. Aim. 1, 23. — Plerumque hi reges Chlodoveo cognati fuisse dicuntur et Eccardus in „historia Franciae orientalis“ P. 1, p. 510. de hac cognatione coniecturas quasdam protulit. Pari modo Claude Fauchet „Les Antiquitez et Histoires Gauloises et Françoises ect. A Geneve 1611“ l. 2, c. 23, p. 139 de hac cognatione quaedam proposuit, quae ex „Iacobo de Cuise historien de Hainaut“ depromisse affert. —

CAP. II.

§. 1.

1) Cfr. quae de his doctissimus Ludenius disputavit l. 1. Band II, p. 140, § 103. —

§. 2.

1) Greg. Tur. 3, 1: „Defuncto igitur Chlodoveo rege quatuor filii eius regnum eius accipiunt, et inter se aequa lance dividunt.“ Quod vero Greg. l. 2, 28; Rorico, Du Chesne I, p. 817 aliique veteres scriptores dixerunt, primum Chlodovei filium Theodoricum ex concubina natum fuisse, haud scio, an vera sint, quae Bunavius l. 1. Vol. II, p. 8, contra hanc sententiam disputavit.

2) Cfr. Du Fresne l. v. Aequalentia: „Diviso haereditatis vel bonorum per aequales partes.“ Cfr. Marculf. 2, 14. Fredgr. Chron. c. 85. Aimoin. 4, 36. — Quibus locis omnibus quamquam de vera bonorum et Thesauri divisione sermo est, nihilominus tamen eo-

dem modo regalem potestatem, bonum quippe omnibus hereditatis iure a patre relictum, aequa lance dividi potuisse putaverim. Pari modo Annals. Metts. Du Chesne III, p. 271: Karolus Pippini Heristallensis filius, moribundus „Principatum suum inter filios suos aequa lance divisit.“

3) Gregor. Tur. 3, 6, unde apparet praecipue matrem Chlothildem, quae iniuriam a parentibus sibi allatam vindicatam vellet, huius filiorum Chlodovei expeditionis auctorem fuisse. Cfr. Greg. Tur. 3, 11. Aimoin. 2, 3. 7. Hist. epit. c. 34 — 37. Gest. reg. Franc. c. 21. — Quod vero Theodoricus hanc expeditionem simul cum fratribus suscipere negavit, „eo quod filia regis Sigismundi esset nupta illi, neptis videlicet regis Godmari,“ satis testatur, quantam discordiarum opportunitatem ipsae res domesticae regum praebere potuerint. — Cfr. La conquête de la Bourgogne par les fils de Clovis I, par L'Abbé Fenel, à Paris 1750. —

4) Greg. Tur. 3, 4. 7. 8. Aimoin. 2, 9. Gest. Reg. Franc. c. 22.

5) Greg. Tur. 3, 10. Amalaricus nimirum filiam Chlodovei uxorem duxerat. (Greg. 3, 10). Quae, cum Catholicorum doctrinam esset secuta, Amalaricus contra Arianam haeresin amplexatus esset, a marito ita vexata fuisse dicitur, ut Childeberti fratris auxilium imploreret. Expeditione igitur facta, et Amalarico interfecto liberavit Childebertus sororem. Cfr. Aim. 2, 8. Gest. Reg. Franc. c. 23. Procop. de bello Goth. 1, c. 13 edit. Claud. Maltreti, Paris. 1662. — Dissert aliquantulum Procopii narratio; quod cum in ceteris quoque, quae Procopius et Agathias de Francis narraverunt, a Mascovio iam observatum sit, et cum ad nostram rem illustrandam Francorum cum Gothicis commercia fere nihil faciant, Procopii et Agathiae testimonia asserre plane omisi. —

6) Greg. Tur. 3, 29. Aimoin. 2, 19.

7) Ibid. 3, 32. ibid. 2, 21. —

8) Ibid. 3, 23. Habebat nimirum Theodoricus filium Theodobertum, (Greg. 3, 1) cuius mansuetudo animi cum in aliis multis, tum in hoc praecipue praedicatur, quod patris iussui non obtemperaverit, sed Gyvaldo salvo fuga evadere permiserit. (Greg. 3, 24. 25.) Huic successit non longo intervallo iuterposito filius Theodobaldus, qui tamen non talem se praebuisse videtur, qualis pater fuisse dicitur. Greg. 4, 9. —

9) Greg. Tur. 3, 7: „Cum autem adhuc supradicti reges in Thoringia essent, Theodoricus Chlotharium fratrem suum occidere voluit, et praeparatis occulte cum armis viris eum ad se vocat, quasi secretius cum eo aliquid tractaturus, expansoque in parte domus illius tentorio de uno parieti in alterum, armatos post eum stare iubet. Cumque tentorium illud esset brevius, pedes armatorum apparuerunt detecti. Quod cognoscens Chlotharius cum suis armatus ingressus est domum.“

10) Greg. 3, 15: „Theodoricus vero et Childebertus foedus inierunt, et dato sibi sacramento, ut neuter contra alterum moveretur, obsides ab invicem acceperunt, quo facilius firmarentur, quae fuerant dicta Sed orto iterum inter reges scandalo, ad servitium publicum sunt addicti.“ —

11) Greg. Tur. 3, 28. Aimoin. 2, 18.

12) Greg. Tur. 4, 15. 16. 17. 20: „ — — in tugurio cuiusdam pauperulae Chram-

nis super scamnum extensus orario sugillatus est, et sic postea super eos incensa casula, cum uxore et filiabus interiit.“ *Aimoin. 2, 30. Gest. Reg. Franc. 28. —*

13) *Greg. Tur. 3, 18. Hist. epit. 38. Gest. Reg. Franc. c. 24. Aimoin. 2, 12 —* Ceterum de Chronologia regni filiorum Chlodovei cfr. *Dionysii Petavii Rationarium temporum Pars II, Lib. IV, c. 14. —*

§. 3.

1) *Greg. Tur. 4, 22: „Chilpericus vero post patris funera, thesauros, qui in villa Brannaco erant congregati, accepit et ad Francos utiliores petiit ipsosque muneribus molli-
tos sibi subdidit; et mox Parisios ingreditur sedemque Childeberti regis occupat, sed non
diu hoc ei licuit possidere. Nam coniuncti fratres eius eum exinde repulere, et sic inter
se hi quatuor, id est Charibertus, Gunchramnus, Chilpericus atque Sigibertus, divisionem le-
gitimam faciunt.“ —*

2) *Greg. Tur. 4, 23. 30. 40. 42. 44. 45. —*

3) *Ibd. 4, 42: „Fuitque illo in tempore peior in ecclesiis gemitus, quam tempore
persecutoris Diocletiani.“ —*

4) *Greg. Tur. 4, 26. Aim. 3, 2. Mortuus est Charibertus a. 570. —*

§. 4.

1) *Cfr. Greg. Tur. 4, 25. 26. —*

2) *Greg. Tur. 4, 27: „Erat enim puella elegans opere, venusta adspectu, honesta mo-
ribus atque decora, prudens consilio, blanda colloquio.“ —*

3) *Greg. Tur. 4, 27. 28. Aimoin. 3, 4. 5. Gest. Reg. Franc. c. 31. —*

4) *Iuvenal. Satyr. XIII, v. 191.*

5) *Cfr. ex multis similibus locis Greg. Tur. 8, 31. —*

6) *Greg. Tur. 4, 46. Gest. Reg. Franc. 32. —*

7) *Greg. Tur. 6, 46. —*

8) *Greg. Tur. 5, 1. 2. —*

9) *Greg. Tur. 5, 14. 19. Aimoin. 3, 14. 15.*

10) *Fredgr. Chron. c. 19 et 21. —*

11) *Fredgr. Chron. c. 39. —*

12) *Greg. Tur. 7, 20. Ibd. 8, 29.*

13) *Greg. Tur. 6, 31. Gest. Reg. Franc. 35. Fredgr. c. 20. Theodoricus et Theodo-
bertus contra Clotharium. — Fredgr. Chron. c. 27: „Cum Brunichildis nepotem suum
Theudericum integra assiduitate moneret, ut contra Theudebertum moveret exercitum. ect.“
Cfr. *Gest. Reg. Franc. 38. —* Idem auctor *Gest. Reg. Franc. c. 39*, narrat, Brunichildem
Theodoricum veneno interfici iussisse, quod tamen utrum verum sit, nec ne, equidem pro-
pterea disceptare noluerim, quod *Fredgar. Chron. c. 39*, eundem Theodoricum „profluvio
ventris“ mortuum fuisse assert. —*

14) *Fredgar. c. 36. Vita St. Columbani, Du Chesne I, p. 554. A. —*

15) *Testis est Ursionis responsum, quod Brunichildi ipsum a pugna cum Lupo, duce*

Campaniae, revocare cupienti dedisse dicitur: „Recede a nobis, o mulier, sufficiat tibi sub viro tenuisse regnum. Nunc autem filius tuus regnat, regnumque eius non tua, sed nostra tuitione salvatur. Tu vero recede a nobis, ne te unguulae equorum nostrorum cum terra confodiant.“ — Greg. Tur. 6, 4. — Si fas est recentiora cum antiquis comparare, et si verum est, ut interdum similia diversis temporibus exstiterint ingenia, haud scio, an Brunichildem cum Catharina illa Mediceensi, Henrici II uxore, collocare liceat.

16) Childebertus, Sigiberto patre interfecto, a Gundobaldo in paternum regnum instituebatur, „vix lustro aetatis uno iam peracto.“ Greg. Tur. 5, 1. —

§. 5.

1) Greg. Tur. 5, 5. „Iste vero fugam iniens ad Chilpericum regem transiit, facultatibus suis fisco regis Guntramni dimissis.“ — Ibid. 8, 42: „Dum a Fredegunde Beppolenus dux valde fatigaretur, nec iuxta personam suam ei honor debitus impenderetur, cernens se despici, ad Guntramnum regem abiit.“ Fredgr. c. 52, et multa alia loca. —

2) Greg. Tur. 7, 2.

3) Praeclare exemplum ibd. 6, 13. —

4) Greg. Tur. 3, 31: „— — Erant autem sub Arriana secta viventes: Et quia consuetudo eorum est, ut ad altarium venientes de alio calice reges communicent, et de alio populus minor, venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat. Quo illa hausto protinus mortua est. Non enim dubium est, tale maleficium esse de parte Diaboli.“ —

5) Greg. Tur. 5, 36. Austregildis nimirum, Guntramni regis uxor, cum videret, se mortem effugere non posse, ipsius fati socios habere voluisse dicitur, idque hanc scilicet ob causam, ut exsequiae non sine multorum lacrimis et luctu celebrarentur. Satis enim sciebat, neminem ipsius funera lacrumantem profecuturum esse. Quapropter medicorum incitiam et imprudentiam praematurae mortis causas accusabat et a Guntramno sacramento exigebat, ut simulatque ipsa spiritum ediderit, hi ipsi medici protinus trucidarentur. Quod Guntramnus, pro quadam animi imbecillitate obtemperare magis, quam imperare consuetus, non modo non prohibuit, sed etiam perfici iussit. —

6) Greg. Tur. 6, 35. —

7) Nota satis sunt Rigunthis infortunia. At si non essent, inspiciat, qui accuratius ea cognoscere cupiat, Greg. Tur. 6, 45; — 7, 9; — 7, 15, aliaque plura libri 6 et 7 loca. —

8) Haec nimirum Fredegundi exilium Praetextato minitanti, respondisse fertur episcopus: (Greg. Tur. 8, 31.) „Ego semper et in exilio et extra exilium Episcopus fui, sum et ero. Nam tu non semper regali potentia perfrueris. Nos ab exilio provehimur tribuente Deo in regnum: tu vero ab hoc regno demergeris in Abyssum. Rectius enim erat tibi, ut relicta stultitia atque malitia iam te ad meliora converteres, et ab iactantia, qua semper ferves, abstraheris, ut et tu vitam adipiscereris aeternam, et parvulum, quem genuisti, adducere ad legitimam posses aetatem.“ —

9) Cfr. Greg. Tur. 5, 21. 23. — 4, 37. eod.

10) Quod cum in multis aliis, tum in hoc praecipue cernitur, quod nunc reges non, ut olim, ipsi Francis in expeditionibus praebant, sed si non semper, plerumque tamen exercitus ducendi negotium pluribus ducibus committebant. Cfr. Greg. Tur. 10, 3. In Burgundia quidem ad Patricios hoc munus delatum est. Gregor. Tur. 4, 36. 37. — 5, 13. —

11) Huc pertinet Greg. Tur. 5, 18, ubi de Chilperico: „— — — apud Sueffionas atque Parisios circos aedificare praecepit, eos populis spectaculum praebens.“ Cfr. ibd. 8, 36. — Chilperici ingenium omnino magis litterulis et artibus, quam rebus bellicis delectatum fuisse videtur. Cfr. ibd. 5, 45. —

12) Greg. Tur. 6, 41: „Childebertus vero rex in Italiam abiit. Quod cum audissent Longobardi, timentes, ne ab eius exercitu caederentur, subdiderunt se ditione eius ect.“ —

13) Ibd. 9, 29. 10, 3. —

14) Ibd. 9, 25: „Commotis ducibus, cum exercitu illuc abeuntibus, configunt pariter: sed nostris valde caesis, multi prostrati, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam lapsi, vix in patriam redierunt. Tantaque ibi fuit strages de Francorum exercitu, ut olim similis non recolatur.“

15) Ibd. 9, 31. 8, 30: quo ultimo in loco Ducem Guntramni responsum, quanta actus fuerit perversitas, satis testatur: „— — — sed quia omnia, quae gloria vestra profert, recta veraque esse censentur, quid faciemus, quod populus omnis in vitium est dilapsus? — Omnemque hominem, quae sunt iniqua, agere delectat; nullus Regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reveretur: et si fortasse cui ista displicent, et ea pro longaeuitate vitae vestrae emendare conatur, statim seditio in populo, statim tumultus exoritur, et in tantum unusquisque contra seniore suum saeva intentione grassatur, ut vix se credat evadere, si tandem filere nequiverit.“ —

16) Ibd. 5, 18: „Guntramnus rex ait: „Evenit impulsu peccatorum meorum, ut absque liberis remanerem; et ideo peto, ut hic nepos meus mihi sit filius.“

17) Greg. Tur. 6, 1: „Anno igitur sexto regni sui Childebertus rex reiecta pace Gunthramni regis cum Chilperico coniunctus est.“ — Ibd. 6, 3: „Denique Egidius Rhemenis Episcopus cum primis Childeberti proceribus in legationem ad Chilpericum regem venit, ibique conlocutione facta, ut ablato Gunthramni regis regno, hi se coniungere debeant in pace, ait Chilpericus rex: Filii mihi peccatis incrementibus non remanserunt, nec mihi nunc alius superest haeres, nisi fratris mei Sygiberti filius, id est Childebertus rex. Ideoque in omnibus, quae laborare potuero, hic haeres existat, tantum dum advixero, liceat mihi sine scrupulo aut disceptatione cuncta tenere.“ — Cfr. ibd. 6, 11. —

18) Ibd. 6, 46. — 7, 5: „Fredegundis igitur regina accepto consilio legatos ad Gunthramnum regem mittit, dicens: „„Veniat dominus meus, et suscipiat regnum fratris sui. Est, inquit, mihi infans parvulus, quem in eius ulnis ponere desiderans, me ipsam eius humilio ditioni.““ —

19) Greg. Tur. 7, 6. 7. —

20) Ibd. 7, 33: „Post haec rex Gunthramnus data in manu regis Childeberti hasta,

ait: „Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi. Ex hoc nunc vade et omnes civitates meas tanquam tuas proprias sub tui iuris dominationem subijce. Nihil enim, facientibus peccatis, de stirpe mea remansit, nisi tu tantum, qui mei fratris es filius. Tu enim haeres in omni regno meo succede, ceteris exhaeredibus factis.“ —

21) Ibid. 9, 32. —

22) Ibid. 9, 11. so. Fredgr. Chron. c. 7. —

23) Fredgr. Chron. c. 14 et c. 16. —

24) Ibid. 40. 42. Aimoin. 3, 98 — 4, 1. — Longum est singula de Brunichildis intertione referre, quae quamquam iusta, iusto tamen crudelior fuisse videtur. — „Firmatum est omne regnum Francorum, sicut a priore Chlothario fuerat dominatum, cunctis thesauris ditioni Chlotharii subiectis.“ —

§. 6.

1) Talibus scilicet ad populi animos sibi reconciliandos opus erat orationibus, quales Guntramnus in Childeberti nepotis favorem Francis habuisse dicitur. Greg. Tur. 7, 8: „Adiuro vos, o viri cum mulieribus, qui adestis, ut mihi fidem inviolatam servare dignemini, nec me, ut fratres meos nuper fecistis, interimatis, liceatque mihi vel tribus annis nepotes meos, qui mihi adoptivi facti sunt filii enutrire, ne forte contingat, quod Divinitas aeterna non patiatur, ut cum illis parvulis me defuncto simul pereatis, cum de genere nostro robustus non fuerit, qui defuset.“ — Ibid. 7, 33: „Deinde cum ad convivium convenissent, cohortabatur Guntchramnus omnem exercitum dicens: „Videte, o viri, quia filius meus Childebertus iam vir magnus effectus est, videte, [cavete,] ne eum pro parvulo habeatis. Relinquit nunc perveritates atque praesumptiones, quas exercetis, quia rex est, cui vos nunc deservire debetis.“ —

2) Fredgr. Chron. c. 42: ubi de Chlothario II: „— — — et postremum mulierum et puellarum suggestionibus nimium annuens; ob hoc quidem *blaffematus a leudibus*.“ — Ad Chronologiam regni filiorum et nepotum Chlotharii I quod pertinet, cfr. D. Petav. Rat. Temporum Prs. II, Lb. IV, c. 16. 17. —

CAP. III.

§. 2.

1) Cfr. de his omnibus Fredgr. Chron. c. 40: Reversis a Chlothario re infecta legatis „Brunichildis Sigobertum filium Theuderici in Thoringiam direxit, apud quem *Warnarium Maiorem domus* destinavit, gentesque ultra Rhenum attrahere, qualiter Chlothario potuissent resistere. Post tergum indiculum direxit, ut Alboënus cum ceteris Warnarium interficeret. Quem indiculum relectum Alboënus disruptum proiecit in terram. Inventus est a puero Warnarii super tabula cera linitus; denuo solidatur. Quo indiculo relecto Warnarius cernens, se vitae periculum habere, *deinceps cogitare coepit, quo pacto filii Theuderici obpremerentur et regnum Chlothario elegeret*.“ — Ibid. c. 41: „Burgundiae Farones, tam Episcopi quam Leudes; timentes Brunichildem et odium in eam habentes, cum

Warnario consilium inientes tractabant, ut neque unus ex filiis Theuderici evaderet, sed eis totis oppressis Brunichildem delerent et regnum Chlothario expeterent; c. 42: Veniensque Sigobertus in Campaniae territorium Catalaunense super fluvium Axonam, ibique Chlotharius obviam cum exercitu venit, multos iam de Austrasiis secum habens, factione Warnarii Maioris domus cumque in congressu certaminis debuissent cum exercitu configere, priusquam praeliare coepissent, signa dantes, exercitus Sigoberti terga vertens redit ad propriis sedibus; Factione Warnarii Maioris domus Brunichildis ab Erpone Comestabuli de pago ultraiurano ex villa Urba, una cum Theudelane, germana Theuderici, producitur, et Chlothario in Ronava vico super Vincennam fluvium praesentatur Warnarius in regno Burgundiae substituitur maior domus, sacramento a Chlothario accepto, ne unquam vitae suae temporibus degradaretur.“ — Cfr. Aimoin. 4, 1 et 6.

2) Fredgr. Chron. c. 40: „Chlotharius *factione Arnulfi et Pippini* vel caeterorum procerum Aufter ingreditur.“ — Aimoin. 4, 1. — Fertur, quaedam cognatio Pippinorum genti cum Merovingis fuisse. Cfr. Du Chesne II, p. 68. Mafcow II, *Anmerk. XXXVII*, p. 245, et de Arnulfo, ibd. p. 231 n. 7. —

3) Fredgr. Chron. c. 47: „Anno XXXVIII regni Chlotharii Dagobertum filium suum consortem regni fecit, eumque super Austrasios regem instituit, *retenens sibi, quod Ardenna et Vuosagos versus Neuster et Burgundiam excluderent.*“ Ibi nihil dicitur de Pippino. Ex sequentibus vero imprimisque cap. 58 et 61 satis patet, Pippinum a consiliis Dagoberti et Austrasiorum Maiorem domus fuisse. Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 41. Erchanbert. Fragmt. Du Chesne I, p. 780, B. — Fragmt. incert. auctor. ad a. 631, ibd. p. 782. — Vit. beat. Pipp. ibd. p. 594, C. — Gest. Dagoberti, c. 12 et 14. —

§. 3.

1) Ex innumeris illius insolentiae testimoniis unum afferre mihi liceat, Gundebaldi audaciam in Childeberto II in regnum paternum substituendo Greg. Tur. 5, 1. — Gest. Reg. Franc. c. 32. —

2) Greg. Tur. 3, 14. Hist. epitom. c. 37. Cfr. Pars II, Cap. I, § 2, Not. 11. —

3) Modo prospera, modo adversa Gundobaldi fuit fortuna, nulla scilicet alia re nisi aura illa populari, qua nihil potest esse inconstantius, adiuta. Cfr. Greg. Tur. 6, 24. — 7, 10. 26. 27. 28. 32. 34 — 38. —

4) De Rauchingi ingenii perversitate cfr. Greg. Tur. 5, 3; de eius regni affectatione atque interitu ibd. 9, 9. —

5) De Aletheo eiusque caede cfr. Fredgr. Chron. c. 44. —

6) De Sadregifilo Gest. Dagbrt. c. 6. Quamquam hanc de Sadregifilo narrationem Hadrian. Valesius et Nat. Alexander tanquam falsam refutandam putarunt: cfr. Hist. eccles. saec. VII, cap. 6, artic. II, Tom. V, p. 574. —

7) Ab omnibus scriptoribus summis effertur Pippini virtus laudibus. Fredgr. Chron. c. 61: „Cum ad Dagobertum accederet prudenter agebat in cunctis et cautum se in omnibus ostendebat. Zelus Austrasiorum adversus eundem vehementer suggerebat, ut etiam

ipsum conarent cum Dagoberto facere odiosum, ut potius interficeretur. Sed iustitiae amor et Dei timor, quem diligenter amplexerat, ipsum liberavit a malis.“ — Vita beat. Pippin. Du Chesne I, p. 594: „*Nec munera populi ad subvertendum ius regium respiciebat, nec gratiam regis ad obruendam populi iustitiam attendebat.*“ Ibid. p. 596: „*Fuit probatissimae vitae ac purissimae famae, sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriae, curiae decus, via ducum, et disciplina Regum.*“ —

8) Fredgr. Chron. c. 58: „*Usque eodem tempore ab initio, quo regnare coeperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Mettensis urbis Pontificis, et Pippini, Maioris domus usus, tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut a cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Post discessum beati Arnulfi adhuc consilium Pippini Maioris domus et Huniberti Pontificis urbis Coloniae utens, et ab ipso fortiter admonitus, tanta prosperitate et iustitiae amore complexus universas sibi subditas gentes, usque dum ad Parisius pervenit, regebat, ut nullus de Francorum regibus praecedentibus sua laude fuisset praecellentior.*“ (?) Cfr. similia Gest. Dagbrt. c. 22. — Fragmt. hist. incerti auctr. Du Chesne I, p. 782. —

9) Fredgr. Chron. c. 60: „*Revertens in Neustriam, sedem patris sui Chlotharii diligens, assidue residere disposuit, cum omnis iustitiae, quam prius dilexerat, fuisset oblitus: Cupiditatis instinctu super rebus ecclesiarum et leudium sagaci desiderio vellet omnibus undique spoliis novos implere thesauros, luxuriae super modum deditus. Nam tres habebat maxime ad instar Reginas, et plurimas concubinas, ect.*“ —

10) Ibid. c. 61: „*Cum leudes sui eiusque (Dagoberti) nequiciae gernerent, hoc cernens Pippinus, cum esset cautior cunctis et consiliofius et plenissimus fide ab omnibus dilectus pro iustitiae amore, quam Dagoberto consilio instruxerat, dum suo usus fuerat consilio: sibi tamen necquicquam oblitus iustitiam, neque recedens a via bonitatis.*“ —

11) Vit. beat. Pippin. Du Chesne I, p. 595: „*Quo dolore permotus eum (Dagobertum) liberrimo ore increpabat, exprobrans, quod maximis Domini beneficiis ingratus existeret.*“ —

12) Fredgr. Chron. c. 61: „*Ipse vero (Pippinus) eo anno cum Sigoberto, filio Dagoberti, ad Haribertum regem accessit.*“ —

13) Fredgr. Chron. c. 42: ubi de regno Chlotharii: „*Quod feliciter post XV annos tenuit, pacem habens cum universis gentibus vicinis. Iste Chlotharius fuit patientiae deditus, litteris eruditus, timens deum, Ecclesiarum et Sacerdotum munerator, pauperibus elemosynam tribuens, benignum se omnibus et pietate plenum ostendens.*“ —

14) Gest. Reg. Franc. c. 41. Aimoin. 4, 18. —

15) Fredgr. Chron. 73. 74. 78. —

16) Fredgr. Chron. 56. 57. Quod Fredegarius dixit „*pro simplicitate*“ Charibertum regni non participem factum fuisse, quantum huic causaetribuendum sit, inde apparet, quod deinde idem Fredegarius c. 57. l. f. Chariberti fortitudinis praeclaram aert testimonium. — Defuncto Chariberto Dagobertus illam regni partem iterum non sine parricidii suspitione occupavit. Fredgr. Chr. c. 67. —

17) Fredgr. Chron. c. 62. Gest. Dagbrti. c. 24. Aimoin. 4, 35. Animi illa mansuetudo, quam prius habuerat Dagobertus, mox improborum consiliis in audaciam et crudelita-

tem commutabatur. Cfr. Fredgr. c. 79. Vita St. Martini, Du Chesne I, p. 655 B. — Fredgr. c. 68: „Istamque victoriam, quam Winidi contra Francos meruerunt, non tam Sclavinorum fortitudo obtenuit, quantum dementia Aufrasiarum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse et assidue expoliarentur.“

§. 4

1) Fredgr. Chron. c. 75. Gest. Dagbrt. c. 31. Aimoin. 4, 26. Alii contra de *Adalgi-
filo* nihil dicunt, ita, ut Pippinus potius ab ipso initio Sigiberti tutelam suscepisse videatur. Vit. Pipp. Du Chesne I, p. 595: „Denique conceptam malitiam ita in pacem et gratiam commutavit, ut filium suum (*Dagobertus*) Sigibertum illi absque suspitione commendans (*Pippino*) in Austriam ad regnandum mitteret. Transfusa est ergo per eiusdem rectoris prudentissimum consilium eadem prosperitas in filium, ita, ut *Sigeberto regnante, sed Pippino regente* et accommodante operam suam, deinceps Aufrasi ect. ect.“ — Gest. Reg. Frc. c. 42. —

2) Fredgr. Chron. c. 85. Fragmt. incert. auctor. Du Chesne I, p. 782 C. — Gest. Dagob. c. 47. —

3) Fredgar. Chron. c. 86: „Otto quidam filius Beronis Domestici, qui *Baiolus* Sigiberti ab adolescentia fuerat, contra Grimoaldum superbia tumens et zelum ducens, eumque despiciere conaretur, Grimoaldus cum Chariberto Pontifice se in amicitiam confringens cooperat cogitare, quo ordine Otto palatio eiiceretur et *gradum patris* Grimoaldus adsumeret.“ Cfr. Aimoin. 4, 38. Vit. beat. Pipp. Du Chesne I, p. 598 C. —

4) Fredgr. Chron. c. 88: „Anno X regni Sigoberti, Otto, qui adversus Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi a Leuthario, Duce Alamannorum, interficitur. Gradus honoris Maioris domus in palatio Sigoberti et omni regno Aufrasiarum in manu Grimoaldi confirmatus est vehementer.“ Gest. Reg. Frc. c. 43. Vita beat. Pipp. Du Chesne I, p. 598. Fragmt. incert. auctr. ibd. p. 782. —

5) Fredgr. c. 85: „Pippinus cum *Chuniberto*, sicut et prius, amicitiam inter se firmiter in perpetuo conservandum obligant, omnesque leudes Aufrasiarum secum uterque prudenter et cum dulcedine adtrahentes eosque benigne gubernantes, eorum amicitiam confringunt semperque servandam.“

6) Ibid. c. 85. f. f. „Grimoaldus filius eius, cum esset strenuus ad instar patris *diligebatur a plurimis*.“ —

7) Vit. Sigobrt. III. Du Chesne I, p. 593 A: „Grimoaldus pro patre suo Pippino constitutus Maior domus *potenter in aula Sigiberti regis principabatur*, et domi militiaeque regnum viriliter tutabatur; quia vero Sigibertus Rex Grimoaldum Maiorem domus sibi in omnibus fidelem cooperatorem eatenus erat expertus, *filium eius Childebertum regni Aufrasiarum heredem delegaverat*, hoc tamen proposito conditionis tenore, *si ipsum contingeret sine liberis obire*. Rex quidem utpote futurorum nescius, quod tunc sibi videbatur ex temporis convenientia fecit. Postea vero filium genuit, quem nomine patris sui *Dagobertum* vocavit. Et priori testamento ad irritum tracto hunc nutriendum commisit Maiori domus Grimoaldo, ut eius potentia contra omnes tutus sublimaretur in Aufrasiarum regno.“ —

8) At, ne quid celem, iam *Gerardus du Bois* de huius narratinuculae veritate dubitasse videtur, ita quidem differens: (Hist. eccles. Parisiensis, Paris. 1690. I Bd. p. 195. Lib. IV, c. 6.) „Sigibertus Gemblacensis, qui scripsit vitam Sigiberti regis, memorat, Childebertum, filium Grimoaldi, a Sigiberto primum adoptatum et institutum heredem regni, si absque herede ipsum mori contingeret. Sed illi postea natum Dagobertum, quem Grimoaldus per Didonem clericum factum post mortem patris in Hiberniam relegavit, ut extorris et egenus moreretur. Verum de illa adoptione apud veteres nulla mentio, neque ea erat Regum Francorum consuetudo, ut in solatium orbitatis sibi ex subditorum familia quemquam adsciscerent.“ —

9) Hoc iam *Claude Fauchet* monuit *Antiquitez franc.* l. 5. c. 13: „environ ce temps et l'an 655 Sigisbert n'ayant point d'enfant adopta Hildebert fils de Grimoald *desesperant trop tost d'en avoir, puis qu'il n'estoit encore d'age ect.*“ —

10) *Vita Sigibert.* Du Chesne I, p. 593: „Mortuo Sigiberto Rege Grimoaldus Maior domus Dagobertum filium eius suae fidei commendatum, ut Austrasiorum potiretur regno, tonsuravit in Clericum, consilio Didonis, Pictaviensis Episcopi et per manum ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio irrevocabili. *Filium vero suum Childebertum Austrasiorum Regno constituit regem.* Franci aegre ferentes perfidiam Grimoaldi captum eum destinant Parisius ad iudicium Regis Chlodovei, qui fuit frater Sigiberti. Quem Chlodoveus vinculatum carceri mancipavit, et crudeliter, ut dignus erat, usque ad mortem tormentavit. Austrasii *Hildericum* filium Chlodovei filium assumunt et in regno Austrasiorum, quod Sigebertus patruus eius tenuerat, Regem constituunt.“ — *Vita St. Remacli* c. 21. Du Chesne I, p. 645. *Gest. Reg. Fr.* c. 43. *Fragmtm. hist. Du Chesn.* I, p. 782 C. *Chron. Moissiacens.* ibd. III, p. 135. *Aimoin.* 4, 42. 43. *Annal. St. Ord. St. Benedict.* ed. Mabillon 14, 26. *Fredegarius* de hac re ne verbum quidem monuit. —

11) Si verum velim fateri, tota Grimoaldi historia et praecipue eius interitus causae quadam quasi obscuritate laborare videntur. Nam iam *Gervasius Tilperiensis* (*Excerpt. Otiorum imperialis*, Du Chesne III, p. 364 B.) de Grimoaldo dixit: „*Hic Parisius propter quasdam secretas factiones in carcerem truditur ibique moritur.*“ —

§. 5.

1) *Incert. Auctor* ad an. 631, Du Chesne I, p. 782 A: „Fuitque rex fortissimus, enutritor Francorum, severissimus in iudiciis, pacem in cuncto regno suo statuit. In multis regnis rumor eius personuit. Timorem universis regnis per circuitum incussit.“ *Fredgr. Chrn.* c. 58. 60. —

2) *Genealog. Reg. Franc.* Du Chesne I, p. 795 B: „Denique a temporibus Chlodovei, qui fuit filius Dagoberti, pater vero Theodorici, regnum Francorum decidens per Maiores domus coepit ordinari.“ — *Libell. de Mai. dom.* ibd. II, p. 1, B. — *Miracul. st. Benedict.* ibd. III, p. 439. multique alii. —

3) *Gest. Reg. Franc.* c. 44: „Fuit autem ipse Chlodoveus omni spurcitiae deditus, fornicarius et inlusor seminarum, gula et ebrietate contentus ect.“ — *Fragmt. incert. Du Chesne I,* p. 782 C.

4) *Iude* factum est, ut nonnulli ex illis Merovingis vix nominentur in fontibus. Ita

Dagoberto III, qui a Grimoaldo in monasterium quoddam Hiberniae fuerat relegatus, *Hadrrianus Valesus* demum suum inter reges Francorum locum vindicavit. Cfr. *Mascow II*, p. 255. § 19. c. not. et q. ibi laudantur. —

5) Non alienum erit a consilio, hic *Eginhardi* de ultimis Merovingis verba rescribere (Vita et convers. Carol. M. Freheri Corpus hist. Franc. II, p. 434. Du Chesne II, p. 94 B.): „Nam et opes et potentia Regni penes *Palatii praefectos*, qui *Maiores domus dicebantur*, et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur: neque regi aliud relinquebatur, quam ut Regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret; legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quae erat edoctus vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet: cum praeter inutile Regis nomen, et precarium vitae stipendium, quod ei praefectus Aulae, prout videbatur, exhibebat: nihil aliud proprii possideret, quam unam et eam perparvi redditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes atque obsequium exhibentes paucae numerositatis habebat. Quacunq; eundem erat, carpento ibat, quod bubus iunctis et bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad Palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, et omnia, quae vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, Praefectus aulae procurabat.“ — Cfr. *Annales incerti auctoris ad an. 751 apud Pithoeum* p. 5. *Erchanberti Fragment.* Du Chesne I, p. 780 C. —

6) Ad defendendos hos Merovingos singularem libellum conscripsit *l'Abbe de Vertot*: *Dissertation au sujet de nos derniers rois de la première race, auxquels un grand nombre d'historiens ont donné injustement le titre odieux de fainéants et d'insensés.* (*Mémoires de Literat. à la Haye*: Tom. VI, 1724. p. 514. —) Porro *Du Bois* hist. eccles. Paris. I. V, p. 229. „Huc piget referre, quae scriptores stirpis Carolinae confinxerunt in contemptum et derisionem regum prioris familiae, cum eos socordiae et pusillanimitatis inculant, eos nempe semel in anno visos carpento affidentes a bobus tracto, quod in eorum dorso crista e pilis in morem porcorum increveret.“ *Nat. Alexandr.* in dissertatione de translatione Regni Francorum a Childerico rege ad Pippinum Maiorem domus (hist. eccles. Tom. V, p. 738) singulorum Merovingorum virtutes inde a Sigiberto III usque ad Theodoricum IV haud infeliciter exposuit, eorumque calumniatores refutavit. —

§. 6.

1) *Fredgr. Chron.* c. 87. —

2) *Fredgr. Chron.* c. 79, ubi de *Dagoberto moribundo*: „Post paucos dies, ubi sentiret vitae suae periculum, *Aeganem* sub celeritate ad se venire praecepit; se iam discessurum sentiens, *Reginam Nanthildem* et filium suum *Chlodoveum* eidem in manu commendans, consilium *Aeganae* pergratum habens, quod cum eius infantia Regnum streune gubernare posset. *Aega* vero cum *Regina Nanthilde*, quam *Dagobertus* reliquerat, regebat Palatium.“ — *Ibid.* cp. 80: „Eratque genere nobili, opibus abundans, iustitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis: tantummodo a plurimis blasphematur, eo, quod esset avaritiae deditus.“

3) Non ingratum erit lectoribus, ingeniorum descriptiones, quas scriptores praebent, repetere: ita igitur Fredegar. Chron. c. 84. Erchinoaldi indolem descripsit: „Erat homo patiens et bonitate plenus. Cum esset sapiens et cautus, humilitatem et benignam voluntatem circa Sacerdotes, omnibus patienter et benigne respondens, nullaque tumens superbia neque cupiditate saeviebat. Tanta in suo tempore pacis sectans fuit, ut Deo esset placabile. Erat sapiens, sed imprimis cum simplicitate, rebus mensurate ditatus, ab omnibus erat dilectus.“ Gest. Reg. Franc. c. 42. Gest. Dagobrt. c. 48. Aimoin. 4, 27. — Vita St. Wandregisili, c. 14. Du Chesne I, p. 640. —

4) Flaochatus propterea quoque memoratu satis dignus est, quod primus iterum Burgundionibus, qui, ex quo *Warnacharius* Maior domus fuerat, hoc Ministeriali plane caruerant, (cfr. Fredgr. c. 54. a. 626 — 641.) Maior domus eligitur. Fredgr. c. 89, ita: „Anno IV regni Chlodovei, cumque Nanthildis Regina cum filio suo Chlodoveo Rege post discessum Aeganae Aurelianus in Burgundiae Regnum venisset, ibique omnes Seniores, Pontifices, Duces et Primates de Regno Burgundiae ad se venire praecepit. Ibi cunctos Nanthildis singillatim attrahens, *Flaochatus* genere Francus, Maior domus in Regno Burgundiae, electione Pontificum et cunctorum Ducum a Nanthilde Regina et hoc gradu honoris stabilitur, neptemque suam, nomine *Ragnobergam*, Flaochato desponsavit. Sponsaliae hae nescio qua factione fiunt. Nam alium *Consilium secretae Flaochatus et Nanthildis Reginae machinabant*; quem creditur non fuisse Deo placabilem, ideoque non mancipavit effectum.“ Cfr. Gest. Dagbrt. c. 48. —

5) Fredgr. ibd.: „Cumque Erchinoaldus et Flaochatus Maiores domi inter se quasi unum iniissent consilium, consentientes ad invicem, hunc gradus honorem, alterutrum solatium praebentes, disponunt habere feliciter.“ —

6) Fredgr. Chron. c. 92. Gest. Reg. Franc. c. 44. Vit. St. Bertilae, Du Chesne I, p. 669. — Vit. St. Leodegar. c. 2: — „Erat enim *Ebroinus* ita cupiditatis face succensus, et in ambitione pecuniae deditus, ut illi coram eo iustam causam tantum haberent, qui plus pecuniae detulissent.“

7) Fredgr. Chron. c. 94: „propter Chludericum in Austriam legationem mittunt, una cum *Wulfoaldo* duce venientem, *cumque super cunctum regnum suscipiunt*.“ Vit. St. Leodegar. c. 3. —

8) Fredgr. Chron. c. 93. 94. 97. Gest. Reg. Franc. 45. Vit. St. Leodegar. c. 5. —

9) Fredgr. c. 94. Gest. Reg. Franc. c. 45. Vit. St. Leodegar. c. 3: „Tyrannicum enim dederat tunc (*Ebroinus*) edictum, ut de *Burgundiae partibus nullus praesumeret adire palatium, nisi qui eius accepisset mandatum*. Interim donec causa suspenditur, Rex *Chlotharius* a domino vocatus de hac luce migravit. Sed cum *Ebroinus* eius fratrem germanum, nomine *Theodericum*, convocatis optimatibus solemniter, ut mos est, debuisset sublimare in Regnum, superbiae spiritu tumidus eos noluit deinde convocare. Cumque multitudo nobilium, qui ad Regis novi properabant occursum, mandante *Ebroino* itineris accepissent repudium; inito in commune consilio, relicto eo omnes expetunt *Chludericum* iuniorum eius fratrem, qui in *Austrasia* acceperat regnum. Episcopis tunc quibusdam intercedentibus et praecipue interventu *Antifitis Leodegarii* cum non interficiant: sed

Luxoviõ Monasterio dirigitur in exilium, ut facinora, quae perpetraverat, evaderet poenitendo.“ Differt aliquantulum Vit. Leodegar. II, c. 4. —

10) Vita St. Leodegar. c. 4: „Interea Childericum Regem expetunt universi, ut alia daret decreta, per tria, quae obtinuerat, Regna; ut uniuscuiusque patriae legem vel consuetudinem deberent sicut antiquitus iudices conservare, et ne de una Provincia Rectores in aliam introissent, neque unus ad instar Ebroini Tyrannidem assumeret, et postmodum sic ille contubernales suos despiceret, sed dum mutuam sibi successionem culminis habere cognoscerent, nullus se aliis anteferre auderet.“ —

11) Fredgr. Chron. c. 95: „Erat enim ipse Childericus Rex levis atque citatus nimis, gentem Francorum in seditionem mittens, et in scandalum ac derisum, donec odium non modicum inter ipsos crevit, usque ad scandalum et ruinam ect.“ — Gest. Reg. Franc. c. 45. — Vit. St. Leodegar. c. 7. — In iisdem capitibus etiam de Childerici interitu agitur. —

12) Fredgr. ibd.: „Wulfoaldus quoque per fugam lapsus evasit, et in Austriam reversus est. Franci vero Leudesum, filium Erchonualdi, nobilem in Maioris domus dignitatem statuunt per consilium B. Leudegarii et sociorum eius.“ — Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 45. —

13) De filio quodam Childerici, Chilperico, quamquam nemo scriptorum quidquam commemoravit, eius nomen tamen in quodam diplomate Corbeiensi subscriptum legitur, primo regni illius anno apposito: cfr. Sirmond. in Not. ad Tom. I Concil. p. 620. —

14) Vit. St. Leodegar. c. 7: „Igitur cum Childerici mors subito nunciata fuisset, tunc hi, qui ob eius iussionem exilio fuerant contempti — — — quidam sine metu fuerunt reversi. Quorum debachante furore surrexit magna perturbatio patriae, ita, ut manifeste crederetur, adventum imminere Antichristi.“ —

15) Fredgr. Chron. c. 96. Gest. Reg. Franc. c. 45. Vit. St. Leodegar. c. 7. —

16) Vita St. Leodegar. c. 8. de Ebroino et eius sociis: „Denique acceperunt quendam parvulum, quem Chlotharii fuisse confinxerunt filium; hunc in partibus Austri secum levant in regnum. — — — Etenim cum depopulando patriam subiugarent, etiam in nomine sui regis, quem falso fecerant, praecepta iudicibus dabant.“

17) Ibid. c. 12: „Igitur cum, sicut supra dictum est, facinus suum diutius Ebroinus occultare non posset, de Rege, quem falso fecerat, declinat ingenium, et ut in Theodorici rediret Palatium, quorundam factione suscipitur et iterum subito Maior domus Palatii efficitur.“ — Vit. Leodegr. II, c. 7. —

18) Leudesus Maior domus et Leodegar. Episcop. Ebroino auctore crudeliter interfecti sunt. Fredgr. c. 96. Gest. Reg. Franc. c. 45. Vit. St. Leodegar. c. 12. alia Vit. Leodegr. c. 8 sqq. — Passio St. Ragnèberti, Du Chesne I, p. 626, ubi de Ebroino: „Huic studium erat, ut quoscunque ex Francorum genere, alta ortos progenie nobilitate vidisset in seculi utilitate proficere, ipsos vel interfectos, aut effugatos, sublato de medio, tales in eorum honore sublevaret, quos aut mollitie obligatos, vel sensu debilitatos, aut utilitate aliqua parentelae, non auderent eius praeceptis impiis resultare.“ — Vit. St. Philiberti, ibd. p. 651. Convers. St. Huberti, ibd. p. 678. — Vit. St. Drausii, ibd. 680. — Frag. auct. incert., ibd. p. 783. — Annales Mettenses, Du Chesne III, p. 263, B. —

1) Vit. St. Leodegar. c. 8: „His diebus egressus est de Luxovio etiam Ebroinus, Iuliano similis, qui vitam fictam Monachorum tenuit. Etenim tam amicorum, quam famulorum confipatus subito comitatu, praedicti exules eius expetentes auxilium, malum, quod de sua accusatione confixerunt, ipsum in caput constituunt, ut eius auxilio vel consilio usi, in Dei hominem valerent unanimiter vindicare.“ —

2) Fredegarius quidem et auctor Gest. Reg. Franc. de Dagoberto expressis verbis nihil dicunt; nisi forte ex illo „defunctis Regibus“, quod hic c. 46, ille c. 97. exhibent, concludere liceat, Austrasios, Theodorico in Neustria regnante, suum regem fortasse habuisse. Cfr. Annales st. ord. St. Benedict. l. 17, c. 23. — Vid. Pars II, Cap. III, §. 5, not. 4. —

3) De actate puerili Pippini cfr. Annales Mettenses Du Chesne III, p. 262 et 263. Ibidem etiam narratur, quantum opibus valuerit Pippinus. Cfr. Vit. St. Landeberti, Du Chesne I, p. 675 A: „In illo tempore erat Princeps Pippinus super plurimas regiones et civitates sitas Europae.“ —

4) Ann. Mettens. D. Ch. III, p. 263 B: „Confluebant autem ad aulam ipsius universi optimates cunctorum Orientalium Francorum, et factus est illis contra omnes aemulos defensor et infissimus in corrigendis moribus dominator.“ — Vit. St. Remacli c. 21. Du Chesne I, p. 645.

5) Fredgr. Chron. c. 97. Gest. Reg. Franc. c. 46. Annales Mettens. l. 1. et alii. —

6) Cfr. De interitu Dagoberti Maslow l. 1. p. 256. not. 6.

7) Fredgr. c. 97: „Defunctis Regibus, commissis invicem principibus Ebruino, Martino, atque Pippino, adversus Theodoricum Regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum, cui vocabulum est Lucofoco, interim commissi proelium ineunt, ibique magno certamine dimicantes plurima pars populi ex utrisque partibus corrui. Devicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt.“ Gest. Reg. Franc. c. 46. —

8) Vit. St. Remacli c. 21. l. 1. de Theodor. et Ebroino: „Horum tyrannidem averfati Austrasiani Pippino principi studebant et parebant.“ —

9) Ann. Mettens. l. 1. p. 263 C: „Fa tempestate plurimi nobilium Francorum ob saevitiam praedicti tyranni, (Ebroini) Niuivstriae relinquentes in Austriam ad Pippinum confugiunt: supplices suam clementiam postulante, ut sese de manibus crudelissimi hostis eriperet.“ — Vit. St. Huberti, Du Chesne I, p. 678 C. de Huberto: Hic, quia prudentis erat ingenii, considerans Ebroinum ad omnem malitiam promptissimum, execratus omnes actus illius Franciam Sequanorum deseruit, et in Austriam ad Pippinum ducem, cuius iustitia et industria ac virtus bellica Tyrannos omnes oppresserat, se contulit.“ —

10) Fredgr. c. 98. Gest. Reg. Franc. c. 47. Vit. St. Leodegar. c. 16. Annales Metts. Du Chesne III, p. 263 C. —

11) Annals. Metts. ibd. p. 264 A: „Igitur profugi, quos Pippinus in sua misericordia susceperat frequentibus cum querimoniis appetebant, obsecrantes, ut pro divino amore iniurias suas ulcisceretur.“ —

12) Ibid. p. 263 et 264 A. Fredgr. et Gest. Reg. Franc. c. 47: „Accepto itaque Wa-

rato inter haec obsides a praedicto Pippino et pacem cum eo iniit.“ — Vit. St. Audoeni c. 26 et 29. Du Chesne I, p. 637 et 38. —

13) Fredgr. c. 99. de Bertario: „Eratque statura parvus, intellectu modicus, levis atque citatus, Francorum amicitiam atque consilia saepe contemnens. Haec indignantes Franci Andramus, Reolus et alii multi relinquentes Bertharium ad Pippinum per obsides coniunguntur, amicitias copulant, super Bertharium vel reliquam partem Francorum concitant.“ — Gest. Reg. Franc. c. 48. — Annal. Metts. l. 1. —

14) Copiose de his omnibus agit Auctor Annalium Mettensium l. 1. p. 264 A — 265 C. et ita quidem, ut, quamquam sermo est rusticus ille, de quo Gregorius Turonensis loquitur, (Cfr. Introd. §. 4, not. 2.) satis tamen eluceat, quam insignis fuerit Pippini virtus. Sed longum est, omnia rescribere; quamquam omnia, quae legantur, dignissima sunt. — Cfr. Fredgr. c. 100. Gest. Reg. Franc. c. 48. — Aimoin. l. 4, c. 47. —

15) Annal. Mettens. l. 1. „— Profectusque (Pippinus) inde, Theodoricum fugientem, et Parisius usque civitatem pervenit. Quam subditione in potestatem redactam, Theodoricum quoque recipiens, ne tyrannidem videretur exercere, nomen illi Regis inaeestimabili pietate reservavit. Ipse vero totius Regni gubernacula, thesaurosque regios et universi exercitus dominationem propriae facultatis iure disponenda retinuit.“ — Fragmt. hist. Du Chesne I, p. 783. Vit. St. Boniti ibd. p. 685 A. Vit. beat. Pip. ibd. p. 599 B. —

CAP. IV.

§. 1.

1) Gest. Reg. Franc. c. 48: „Thesauris acceptis Nortbertum quendam de suis cum Rege relictum, ipse in Austriam remeavit.“ Libell. de Mai. Dom. Du Chesne II, p. 2. Genealog. Reg. Frc. ibd. I, p. 795. —

2) Annales Metts. l. 1. p. 266: „Singulis vero annis in Calendis Martii generale cum omnibus Francis secundum priscorum consuetudinem concilium agebat.“ —

3) Cfr. Ann. Mettens. l. 1. p. 266 et 267. ibi Pippinus contra Saxones, Frisiones, Alemannos, Baiovarios, Aquitanios, Wascones atque Brittones pugnasse dicitur. Praecipue contra Frisiones et Radbodum iteratas expeditiones suscipere cogitur. Cfr. Fredgr. c. 102. Gest. Reg. Frc. c. 49. Erchanberti fragmt. Du Chesne I, p. 780. — Deinde Ann. Metts. l. 1. „Confluebant autem ad eum circumfitarum gentium Legationes, Graecorum scilicet et Romanorum, Longobardorum, Hunnorum quoque, et Sclavorum atque Sarracenorum.“ —

4) Ann. Metts. l. 1. p. 266 C: „Igitur Drogonem primogenitum suum Ducem posuit Burgundionum, tradens sibi uxorem Anstrudem, filiam Warattonis, quondam illustri Majoris domus, derelictam Bertharii.“ Ibid. p. 267: „Remorum vero scilicet et Senonum, ceterarumque urbium ad ipsum Ducatum pertinentium Pippinus iuniorem filium suum nomine Grimoaldum Maiorem domus cum Hildeberto constituit.“ — Et deinde: „In illo tempore Grimoaldus filiam Radbodi, Ducis Frisionum, duxit uxorem.“ Fredgr. c. 101 et 104. Gest. Reg. Franc. c. 49. 50.

5) Fredgr. c. 102: „Posthaec *Drocius*, filius Pippini, a valida febre correptus mortuus est.“ — Gest. Reg. Franc. c. 49. Annal. Metts. l. l. p. 267 add.: „Qui in principatum germanus eius *Grimoaldus* Pippino genitore suo ordinante successit.“

6) Ann. Metts. l. l. „Anno ab incarnatione Domini 714 aegrotante Pippino in Iopila Villa publica, quae sita est super fluvium Mosam, cum ad visitandum eum Grimoaldus filius eius properaret et ad orationem in Basilica sancti Lanberti Martyris processisset, et diutius in oratione pronus persisteret, a nequissimo viro, nomine Rangario, gladio percussus occubuit.“ — Fredgr. c. 104. — Gest. Reg. Franc. c. 50. — Ineptam sane famam fuisse contenderim, Grimoaldi caedem auctore Radbodo patratam fuisse. Quid enim socerum ad tale facinus permovere potuisset? — Cfr. Du Bois Hist. eccles. Paris. L. IV. c. 8. p. 218. Fortasse huius suspicionis ansam praebuit Radbodi posthac cum Neustrasiis initum foedus. —

7) Ann. Metts. l. l.: „In locumque *Grimoaldi* filium eius parvulum, ex concubina natum, nomine *Theodaldum*, Maiorem domus cum *Dagoberto* rege constituit.“ Cfr. Fredgr. Gest. Reg. Franc. l. l. —

8) Regnum tenuerunt vel potius regale nomen Pippino Maiore domus vivente *Theodoricus III* † 691, *Clodoveus III* † 695, *Childebertus III* † 711; *Dagobertum III* tamen Pippinus superstitem reliquit, qui an. 715 obiit. Cfr. Auctores laudatos locis iam saepius allatis. —

9) Ann. Metts. l. l.: „Eodem quoque anno Pippinus Princeps (714) circumfisis gentibus Francorum dominationi subactis in pace obiit XVII Cal. Ian. Rexit autem populum Francorum annis XXVII et mensibus sex. Reliquitque superstitem filium nomine *Karolum*. Defuncto autem Pippino maxima conturbatio orta est in gente Francorum.“ Cfr. Fredgr. c. 104. Gest. Reg. Franc. c. 51. —

§. 2.

1) Annales Mettens. l. l. p. 268 de Plectrude et Theodoaldo: „— Ipsaque cum infantulo muliebri consilio tanti regni habenas tractare praesumebat. Quod dum crudelius, quam oporteret, astu femineo disponere decrevisset, iram Nivstrium Francorum in nepotis sui interitum et Principum, qui cum eo erant, celeriter convertit. Super exercitum enim Theodaldi in *Cotia silva* repentino impetu irruentes, caede maxima trucidarunt. Theodaldus vero cum paucis vix evasit. Qui non multo post tempore vitam innocentem finivit.“ Fredgr. c. 104. Gest. Reg. Franc. c. 51. —

2) Annals. Metts. l. l. Fredgr. c. 105 et 106. Gest. Reg. Franc. c. 52: „Franci nimirum *Danielem* quondam Clericum, caesarie capitis crescente, eum in regno stabiliunt, atque *Chilpericum* nuncupant.“ Plerumque hic *Childerici II* filius putatur, quod tamen nullius veteris scriptoris testimonio comprobatur. Potius Erchanberti Fragmtm. Du Chesne I, p. 781. dixit: „— — quia deficiente prosapia regum, illum, quem propinquiorem *Meroveis* invenire poterant, statuere.“ — Cfr. Frgmt. hist. ibd. p. 783, C. —

3) Ann. Metts. l. l.: „foedus quoque cum *Radbodo* Duce Frisionum contra *Carolum* pacti sunt.“

4) Cfr. Annales Mettenses l. l. p. 268. Fredgr. et Gest. Reg. Franc. l. l.

5) Primae pugnae locum nullus scriptorum accuratius adnotavit; exitum ambiguum fuisse omnes memoriae prodiderunt. Ann. Metts. p. 268, tamen referunt, Rādbodum „*ex altera parte*“ in Karoli exercitum irruisse, Raginfredum contra et Chilpericum „*per Arduennam silvam in Ripuarios*“ copias suas duxisse. Deinde: „Initoque certamine magna ex utraque parte clades exstitit. Dirimentē nocte caedem hostis uterque suis sese mandavit.“ Cfr. Fredgr. c. 106, ubi de Carolo „Cernensque laesum exercitum terga vertit.“ Gest. Reg. Frc. c. 52.

6) Erat haec victoria ad Amblavam non talis, qualis victori simul gloriam comparat, sed magis dolo, quam virtute effecta. Cfr. Annals. Metts. p. 268. Fredgr. c. 106. Gest. Reg. Frc. c. 53. —

7) Sicut ante proelium Textriciense Pippini, sic hic Karoli moderatio eluxit. Ita enim Ann. Metts. p. 269 referunt: „Karolus autem princeps more Maiorum Legatos suos ad Chilpericum dirigit ea, quae pacis sunt, postulans. Et, ne forte nobilium Francorum cruor inter illos effunderetur, paternum sibi suadet restaurari principatum. ect.“ Gest. Reg. Frc. c. 53. Fredgr. c. 106. —

8) Annals. Metts. l. 1. „Coloniamque urbem ingressus paternis thesauris a *Plectrude* noverca sua receptis *in solio regni sui dignissimus haeres resedit.*“ Fredgr. c. 107: „Deinde Coloniam urbem reversus ipsam civitatem cepit reseratam; praefata *Plectrudis* thesauros patris sui ei reddidit et *cuncta suo dominio restituit.*“ Fragmt. hist. incrt. Du Chesne I, p. 784: „*Carolus* igitur dux victrici manu Maior domus Palatii effectus est, *Raginfredo* deposito.“ —

9) Annal. Metts. l. 1. p. 270. A: „Anno ab incarnatione Domini 725 transactis ferme V annorum cursibus, *Raginfredus* quondam Maior domus contra *Karolum* se erigere temptavit, contra quem *Karolus* exercitum duxit et illum in civitate Andegavis inclusit, filiumque eius obsidem ducens, ipsum Comitatum sibi quam diu vixit, solita pietate habere concessit.“ — Fredgr. c. 107 l. f.

10) Fredgr. c. 107: „Regem sibi constituit nomine *Chlotharium.*“ Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 53. — Annals Metts. et alii de hoc *Chlothario* ne verbum quidem monuerunt, quod quidem non mirum est. Nam Erchanbert. Fragmt. l. 1. p. 781 dicit de Carolo: „— — situsque Rex *Chlotharius* post non multum obiit.“ — Utrum hic *Chlotharius* e gente *Merovingorum* fuerit, nec ne, haud facilis est disceptatio. Dubitarunt multi (Du Bois hist. eccles. Paris. l. IV, c. 8, p. 219.) Veteres de eius origine nihil adnotarunt; recentiorum tamen alii *Dagoberti II*, alii *Theoderici III* filium eum fuisse contenderunt. —

11) Fredgr. c. 107: „*Chilpericus* itaque et *Raganfredus* legationem ad *Eudonem* dirigunt eius auxilium postulantes rogant, regnum et munera tradunt. — — *Carolus* per missos suos ab *Eudone* duce idemque praedictum *Chilpericum* Regem recepit.“ — Cfr. Gest. Reg. Franc. c. 53. Latius omnia exposuit Auctor. Ann. Metts. l. 1. p. 269 et 270. —

12) Fortiter pugnavit contra Saxones, Alemannos, Frisiones aliasque finitimas gentes, quod quidem propterea praecipue ad Francorum animos ipsi reconciliandos permultum con-

tulit, quod quae expugnata essent, Carolus plerumque iis, qui eum secuti erant, tanquam beneficia, concessit. Ita iam post proelium ad Vinciacum dixit auct. *Annal. Metts. l. l. p. 269*: „Karolus vero Princeps, divino auxilio victoria patrata, spolia innumerabilia *suis fidelibus* distribuit.“ — Et ad annum 753 *ibid. p. 270*: „Karolus Princeps regnum Burgundiae cum valida manu penetravit, finesque regni illius *fidelibus suis Ducibus probatissimis* ad regendum dedit.“ — Cfr. *Fredgr. 108.* — Deinde ad an. 756 *Ann. Metts. l. l. 271*: „Eodem quoque anno Carolus Princeps Burgundiam adiit, Lugdunumque Galliae urbem munitissimam suae ditioni subegit, et usque Massiliensem urbem et Arelatem civitatem penetravit, *suisque ducibus omnia in potestate tradens* ad sedem principatus sui feliciter remeavit.“ —

13) Cfr. *Chron. Isidor. Pacensis, Du Chesne I, p. 785*: „In Hispania gens omnis Arabica sorte sociis dividendo partem ex omni re mobili et immobili fisco adsociat; Postremo *Narbonensem Galliam* suam facit, gentemque Francorum frequentibus bellis simulat ect.“ —

14) *Ibid. ad an. 731.* —

15) *Ann. Metts. l. l. p. 270*: „Ibique Ecclesiis Dei igne concrematis, plurimisque Christianis interfectis, usque ad *Pictavum* urbem profecti sunt. Basilicaque St. Hilarii concremata ad beatissimi Martini ecclesiam subvertendam summo conamine proficisci contendunt.“

16) Cfr. *Annals. Metts. l. l. Fredgr. c. 108. Chron. Isidor. Pacens. l. l. p. 786.*

17) Huius Victoriae locus erat in *Gallia Narbonensi*, haud nimis procul ab urbe ipsa *Norbanna*. Cfr. *Fredgr. c. 109. Annal. Metts. l. l. p. 271.* —

18) *Ann. Metts. l. l. p. 271*: „Fugatoque duce *Moronto*, qui quondam Sarracenos in suae perfidiae auxilium adsciverat, nullo iam relicto adversario, totam illam regionem Francorum imperio subiugavit.“ — — *Fredgr. c. 109.* — Cfr. de his omnibus *A. D. Altesira Rer. Aquitan. lib. VII, c. 7 — 9.*

19) Seniores demum *Martelli* cognomen Carolo tribuerunt, et diversae sunt scriptorum de huius nominis origine sententiae; e. g. *Vit. St. Rigoberti, Du Chesne I, p. 789 A*: „Carolus hic ob feros animos, et quod ab incunte aetate vir strenuus in armis et robusto corpore fuerit, *Martellus* est appellatus.“ Contra vero Auctor *Mirac. St. Benedicti, Du Chesne III, p. 440 A*: „Practerea Sarracenos Galliam occupare temptantes duobus magnis proeliis, uno in Aquitania apud Pictavium civitatem, altero autem apud Narbonam, iuxta *Birram* fluvium, ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret. Quamobrem cum adversantibus nullatenus cedere sciret, nullique parcere: diu a posteris *Tudites* ab actu rerum scilicet agnomen indeptus est. *Tudites* enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur duricies.“ — Cfr. *Du Bois Hist. eccl. Paris. l. 4, c. 8, p. 221*: ubi de charta quadam Caroli: „Charta sic incipit: „*Ego inluster vir Carlus Maiorim domus, filius Pippini.*““ Nihilominus eius sepulcro haec inscripta leguntur: Carolus Martellus Rex. Sed haec recentiora esse, ex hoc colligo: namque *Valesius* tradit, neminem se reperiisse vetustiore *Hepidanno* et *Odoranno* monachis, qui regnante apud Francos *Henrico, Roberti filio*, floruerunt, qui *Carolum Martellum* dixerit; illos deinde *Lambertum, Leonem,*

Marficanum, Sigibertum aliosque esse imitatos. *Tuditem* tamen, quod idem sonat, iam a tempore *Caroli calvi* appellatum esse constat. —

20) Cfr. Mabillon. *Annales st. Ord. st. Benedict.* 20, 28, 62.

21) Cfr. *Fredgr. c. 110. Gest. Reg. Franc. Appendix, Du Chesne I, p. 720. Annals. Metts. l. l. p. 271 C. Epist. Greg. ad Carol. Martell. Du Chesne III, p. 703 et 704. — Diversa de Gregorii legatione ad Carolum scriptores narraverunt, nec de Gregorii consilio consentiunt. Attamen vix dubium est, quin contra Luitbrandum Caroli auxilium imploraverit. Ita iam auct. *Mirac. st. Benedict. l. l. p. 440 A:* „Pepigit hic (Carolus) foedus cum Liutprando, eique filium suum Pippinum misit, ut more Christianorum fidelium eius capillum primus attonderet, ac pater illi spiritalis existeret. Quod ille gratantissime complens, multis ditatum muneribus genitori natum remisit. Qua de re contigit, ut legationem sacratissimi Praefulis Gregorii ad se directam, obsecrantis, quatenus sanctam Romanam Ecclesiam a Longobardorum tyrannide liberaret, terrena coelestibus praeponderans, floccipenderet.“ — Cfr. *Masow II, Anmerkung XXXIV:* „Worinnen eigentlich die Tractaten zwischen Gregorio III und Carolo Martello bestanden?“ p. 233. —*

22) Multa convicia propterea Carolo fecerunt, quod Clericis et Monachis e sedibus expulsis, militibus suis bona sacra distribuerit. Cfr. *Miracul. St. Benedicti l. l.* „— Ob eamque rem plurima iuri ecclesiastico detrahens praedia Fisco associavit ac deinde militibus propriis distribuere studuit.“ — Mabillon *Annal. St. ord. St. Benedict.* 21, 22:

„Nobilium ut reparet Martellus damna virorum,

Iniecit dominas in sacra feuda manus.“

Ibd. 20, 18. 29. 30. 47. — Nec mortuum Clericorum odium et invidia reliquit, cfr. *Vit. St. Rigoberti. Du Chesne I, p. 790. Vit. St. Eucherii ibd. p. 791. Epist. Episcop. Provinciarum Remens. ect. ibd. 792. — Neque tamen semper Monachorum iustis precibus ipsius aures clausae fuerunt. Cfr. Mabill. l. l. 20, 57. Vit. St. Leufredi, Du Chesne I, p. 689. Atque recte de Caroli Ecclesiarum direptionibus Mabill. l. l. 21, 61 ita: „Quae forte ab eo potius temporum et bellorum necessitas et conditio extorsit, quam voluntas.“ —*

23) *Annals. Metts. l. l. p. 271 ad ann. 741:* „Eodem vero anno dum memoratus princeps Carolus se aegrotare cerneret, congregatis in unum omnibus optimatibus suis, Principatum suum inter filios suos aequa lance divisit. Primogenito suo Karolomanno Austriam, Alamanniam, Turingiamque subiugavit. Filio vero iuniori Pippino Neustriam, Burgundiam Provinciamque concessit.“ Cfr. *Fredgr. c. 110. —*

24) De interregno post Theodorici IV obitum cfr. *Mabill. l. l. 21, 37. Fredgr. et Annales Metts. de hoc nihil adnotarunt. —*

§. 3.

1) Cfr. *Annal. Metts. l. l. p. 272:* „Karolus autem adhuc vivens, cum inter filios suos Karolomannum et Pippinum principatum suum divideret, tertio filio suo *Gripponi*, quem ex Sonihilde, quam de Bavaria captivam adduxerat, habuit, suadente eadem concubina sua partem ei in medio Principatus sui tribuit. Partem videlicet aliquam *Niustriae*, partemque *Austriae* et *Burgundiae*. De hac autem tertia portione, quam *Gripponi* adolescenti

discessurus princeps tradiderat, Franci valde contristati erant, quod per consilium mulieris improbae fuissent divisi et a legitimis heredibus divisi.

2) Plurimi veterum scriptorum de Childerico III et de tempore, quo electus fuerit nihil memoriae prodiderunt. Auctor libell. de Mai. Dom. Du Chesne II, p. 2, dixit satis indefinite: „His temporibus Hildericus in Regno Francorum substituitur.“ Nec de eius origine veteres quidquam commemorarunt. Auctor Vit. Carol. Magni, Du Chesne II, p. 69, dixit: „Post Theudericum regnavit solo nomine Childericus, insensatus frater eius, et defecit totum genus regale.“ — Quod si verum esset, fuisset filius Dagoberti III. Item Vit. St. Genulfi, Du Chesne III, p. 456 C. — Auctor genealog. Reg. Franc. a Pharamundo usque ad Pippinum, Du Chesne I, p. 793, eundem Childericum Theodorici IV fratris suum fuisse tradit. — Plurimumque vero Chilperici II filius fuisse putatur, cuius origo Merovingiana nondum satis probata est. (Cfr. Prs. II, Cap. IV, § 2, not. 2.) Heppidannus Monach. Chron. ad an. 752, Du Chesne III, p. 471 dixit, huic Childerico prius nomen Danihelis fuisse. —

3) Cfr. Annal. Metts. l. l. p. 272 et 73. Fredgr. contin. Du Chesne I, p. 773. Appendix ad Gest. Reg. Fr. ibd, 720. —

4) Ann. Metts. l. l. 272: „— — Consilioque inuito, sumptis secum principibus Karlo-manno et Pippino ad capiendum Gripponem exercitum congregant. (Franci.) Quem Karlo-mannus accipiens in nova castella custodiendum transmissit.“ — Cfr. Fredgr. l. l. aliosque. —

5) Ann. Metts. ibd.: „Ogililo dux Baioariorum, qui Hiltrudem filiam Caroli ad se fugientem in coniugium sibi copulaverat contra voluntatem Pippini et Karlo-manni, se et etiam Ducatum suum, quem largiente olim Karolo principe habuerat, a dominatione Francorum subtrahere nitentur.“ Cfr. Contin. Fredgr. l. l.

6) Ann. Metts. ibd. p. 275: „Eodem quoque anno Karlo-mannus princeps germano suo Pippino confessus est, quod vellet seculum derelinquere et Dei omnipotentis se servitio mancipare. Inde utrique se germani praeparaverunt. Unus videlicet, id est Karlo-mannus, ut pergeret ad limina Apostolorum Petri et Pauli; Pippinus vero laborabat, ut ipsum cum summo honore et muneribus magnis destinaret.“ Cfr. Fredgr. l. l. p. 773. Vit. Zachariae Pontif. Du Chesne II, p. 203. —

7) Ann. Metts. l. l. p. 274: „Eodem anno Pippinus omnium Francorum generaliter Princeps misericordia motus fratrem suum Gripponem de custodia, in qua eum germanus suus Karlo-mannus incluserat, liberavit et ipsum fraterna dilectione honoratum in Palatio suo habuit. Deditque illi Comitatus et Fiscos plurimos.“ —

8) Ibid. p. 275: „Grippe vero, quem de custodia fraterno affectu Pippinus solverat, tyrannico fastu multos sibi nobilium sociavit et fuga lapsus Renum transiens in Saxoniam venit.“ —

9) Ibid.: „Grippe videns, quod Saxonum armis minime defendi posset, in Boioariam confugit. Quorum dux eo tempore Odilo defunctus erat; cui Tassilo filius eius successerat, quem de principatu Grippe abegit, et sibi ipse Baioarios subiugavit.“ — Cfr. Geschichte

der altbayerischen Länder, ihrer Regenten und Landeseinwohner, von C. T. Gemeiner. Regensburg 1810. p. 67, 75 — 84 —

10) *Ibd.*: „Solita autem pietate Gripponi fratri suo! misericorditer non solum pepercit, sed etiam beneficiis ditavit. Nam Gripponi *Cinomanicam urbem cum XII comitatibus dedit*. Quibus ille solito more despectis *Walconiam petiit et ad Waisarium ducem perfidum Aquitaniarum pervenit.*“ —

11) *Ibd.* ad an. 751: „Grippō cernens quod in Aquitaniam a facie fratris sui Pippini minime latere posset, dum ad *Haiulfum Regem* confugium facere voluisset, occurrit ei Theodowinus, vir inlustis cum aliis Comitibus, qui Alpium transitus tuebantur, in valle, qua Morienna urbs sita est. Sed dum ipse Grippō eos vi praeterire vellet, pugnam inierunt, in qua ex utraque parte multi nobiles Franci corruerunt. Inter quos etiam Grippō et Theodowinus vitam finierunt. Exinde omnis terra Francorum sub Pippini dominatione in summa pace quievit.“ — Cfr. Fredgr. Contin. Du Chesne I, p. 774 A. — Adelmi Benedict. Franc. Reg. Annals. ad ann. 747. 48. 53. Corp. hist. Franc. ed. Freherus. —

§. 4.

1) Ex multis hos nominare mihi liceat: *Carol. Le Cointe Dissertat. de Pippini ad solum regium elevatione et unctione.* (Annales Eccles. Franc. Tom. V. ad an. 752.) — *Petr. Rival Disc. si le Pape Zacharie deposa Childeric III?* — (Dissertat. historiques et critiques sur divers sujets: Diss. II, p. 70. Diss. III, p. 156. Lond. 1726. 8.) — *Natalis Alexander dissertatio de translatione Regni Francorum a Childerico Rege ad Pippinum Maiorem domus.* (Hist. Eccles. saec. VIII. Dissert. II, Tom V, p. 737.) — *Du Bois Dissertat. de Pippini electione in Regem Francorum et eius sacra unctione.* (in eius hist. eccles. Paris. I Tom. Paris. 1690 l. V, c. 1. p. 227.)

2) Plurimū scriptorum hanc chronologiam exhibent; e. g. *Annal. Tilian.* Du Chesne II, p. 12. — *Loiseliiani, ibd.* p. 25. — *Annal. Eginhardi (Laureshamenses.) ibd.* p. 234. — *Annal. Adelmi Benedict. Freher. corpus hist. franc.* p. 383. — *Annales Bertiniani, Du Chesne, III, p. 151. ect. ect. De Burchardo cfr. Du Bois l. l. p. 228.* —

3) Cfr. *Annals. breves, Du Chesne II, p. 4.* — *Petri Bibliothec. hist. Franc. abbreviata, Du Chesne III, 541.* —

4) Hunc Stephanum *Anastafus* secundum, *Baronius* tertium nominarunt. Defuncto enim Zacharia Stephanus II eligebatur, qui tamen, cum quarto iam post electionem die vitam finiret, a nonnullis in Romanorum Episcoporum serie non nominatur. Is vero, qui eum sequebatur idemque sibi vindicabat nomen, Stephanus II ab illis nominatur. Plurimūque vero, duce *Baronio*, tertius. —

5) Cfr. *Eginhardi Vit. et Conversat. Caroli Magni, Du Chesne II, p. 94:* „Gens Merovingorum, de qua Franci reges sibi creare soliti erant, usque in Childericum regem, qui iussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in Monasterium trusus est, durasse putatur.“ Ad verbum fere *Eginhardum* secuti sunt *Mirac. St. Benedict. Du Chesne III, p. 440. C.* — *Hepidanni Monachi Annal. ad an. 752, ibd. p. 471. Vixit Hepidannus Henrico, filio Roberti, regnante c. 1040.* —

6) Cfr. Fredgr. Chron. contin. Du Chesne I, p. 784. — Annales Tillan. an. 754, ibd. II, p. 12. — Loifeli., ibd. p. 25. — Annales Eginhardi, ibd. p. 234. Annals. Fuldenses, ibd. p. 534. — Vit. Stephani, ibd. 209. — Annals. Bertin., ibd. III, p. 151. Annls. Metts. ibd. p. 275. ect. —

7) Cfr. Du Chesne II, p. 233, sqq. — *Nat. Alexander* tamen eosdem *Laureshamenses* Annales nuncupat. Cfr. hist. eccles. l. I. p. 740. —

8) Huc referendi sunt: Auctor Fragmt. histor. Du Chesne I, p. 784: „Igitur Pippinus missis Romam legatis *Zachariam* Papam de Regno Francorum et ignavis eius Regibus consuluit. Cuius auctoritate et non multo post *iussu Stephani* Pontificis Romani, Hilderico, qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, deposito atque in Monasterium detruso, Pippinus Maior domus Rex Francorum electus et Suessionis a *sancto Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo unctus est anno Domini 752.*“ — Quae tamen sit huius scriptoris auctoritas, inde patet, quod non ante tempora *Rodulfi* circa an. 924 vixisse videtur. Cfr. *Nat. Alexdr.* l. I. p. 743. — Similia narraverunt *Genealog. Reg. Franc.* Du Chesne I, 796. — *Libell. de Mai. Domus*, ibd. II, 2. (cuius auctor tamen saeculo demum undecimo vixisse putatur. Cfr. *Nat. Alexdr.* l. I.). *Auctr. Vit. Carol. Magni* ibd. II, p. 69. — *Annales Mettenses*, ibd. III, p. 275. — *Petri Bibliothecar. hist. Frc.* abbreviata ibd. p. 541. —

9) *Annales Loifeli.*, ibd. II, p. 25. ad an. 749: „*Burgardus Wirtzeburgensis Episcopus et Folradus Capellanus* missi fuerunt ad *Zachariam* Papam interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fuisset, an non. Et *Zacharias* Papa mandavit *Pippino*, ut melius esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum, qui sine regali potestate maneret, ut non conturbaretur ordo. *Per auctoritatem ergo apostolicam iussit, Pippinum regem fieri.* — 750: Pippinus secundum morem Francorum electus est ad Regem et unctus per manum sanctae memoriae *Bonifacii Archiepiscopi* et elevatus a Francis in Regno suo in Suessionis civitate. Hildericus vero, qui *falso* Rex vocabatur, tonsuratus est et in Monasterium missus.“ — Cfr. *Ann. Tillan.* Du Chesne II, p. 12. *Ann. Eginhardi*, ibd. 234. — *Ann. Adelmi Benedict.* *Frher.* l. I. p. 83. — *Annals. Fuldens.* Du Chesne ibd. p. 534. — *Ann. Bertin.* ibd. III. p. 151. — *Chron. Hildensheimense*, ibd. p. 506. — *Annals. incert. auct. apud Pithoeum* p. 6. — *Aimoini* continuat. 4, 61. —

10) Pertinent huc haec *Natalis Alexandri* verba (l. I. p. 739): „Verisimile non est, *Zachariam* a suorum decessorum doctrina et sedis Apostolicae traditione defecisse. At ab ea defecisset, si *Childericum* tertium exauctorasset, Regnumque ad Pippinum transtulisset. Pugnasset enim cum doctrina *Gregorii secundi* a Maioribus accepta, qui in *Epist. I ad Leonem Isaurum Imperatorem* ita scripsit: „Idcirco Ecclesis praepositi sunt Pontifices a Reipublicae negotiis abstinentes; et Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, et quae sibi commissa sunt, capeffant.““ Et *Epist. II*: „Nam quemadmodum Pontifex introspectiendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi: sic neque imperator in Ecclesias introspectiendi et electiones in Clero peragendi.“ —

11) Ex hoc genere praecipue *Natalis Alexander* ad defendendam atque tuendam horum

Merovingorum virtutem plura protulit l. l. p. 738. Cfr. Part. II, Cap. III, § 5, not. 6. —

12) Cum multis haec non male contra Eginhardum Natalis Alexander (l. l. p. 740) monuit, „promissam barbam“, qua ornati quodammodo Merovingi isti in sede aurea sedisse feruntur ab Eginhardo, nulli fere convenisse, quippe qui omnes ante ipsum illum aetatis annum vitam finiverint, quo vix prima genarum umbra provenire soleat.

13) Cfr. *Du Bois* l. l. p. 228 sq. —

14) Cfr. *Natalis Alexander* l. l. p. 741. *Du Bois* l. l. p. 250. —

15) *Annales Nazar.* *Du Chesne* II, p. 4, ad an. 751: „Pippinus Rex elevatus est.“ — *Ann. Tiliiani*, ibd. p. 7, ad an. 752: „Dominus Pippinus elevatus est ad Regem in Suesionis civitate.“ — *Odorauni Monach. Chron.* ibd. p. 636. — *Chron. breve incert. auctoris*, ibd. III, p. 350. —

16) *Contin. Fredgr.* *Du Chesne* I, p. 773: „Et quievit terra a proeliis annis duobus. Quo tempore [una cum consilio et consensu omnium Francorum missa relatione a sede Apostolica auctoritate percepta,] praecellus Pippinus electione totius Franciae in sedem Regni [cum consecratione Episcoporum et subiectione principum,] una cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo depofcit, sublimatur in Regno.“ Uncis inclusa nonnulli delenda putarunt.

17) Haec, nimirum ex codice MSS. Petavii *Du Chesnius* ibidem subiunxit: „Usque nunc inluster vir *Childebrandus* comes, avunculus praedicti regis Pippini, hanc Historiam vel gesta Francorum diligentissime scribi procuravit. Abhinc ab inlustro viro *Nibelungo* filio ipsius *Childbrandi* itemque *Comite* succedat Auctoritas.“ —

18) Cfr. *Caroli le Cointe Annales Eccles. Francorum* ad an. 752. Num. 62. — *Natal. Alexander* l. l. p. 743. — *Du Bois* l. l. p. 228. —

19) Similia *Du Bois* l. l. protulit: „Quae enim istae repetitiones male confutae? „cum consilio et consensu omnium Francorum“, et statim „electione totius Franciae cum consecratione episcoporum et subiectione principum.“ Deinde „in sedem regni“ et paulo post „in regnum sublimatur.“

20) Eadem fere, quamquam brevius, auctor *Appendicis Gest. Reg. Franc.* *Du Chesne* I, p. 721 exhibet: „Quievit terra a proeliis duobus annis. Quo tempore cum consilio Francorum missa relatione, sedis Apostolicae auctoritate percepta ipse Pippinus cum consensu Francorum et consecratione Episcoporum sublimatur in Regno.“ — Utrum vero hic *Fredegarius*, an *Fredegarius* hunc secutus fuerit, equidem nescio. —

21) Sunt hi *Annales Bertiniani*, *Du Chesne* III, p. 151. *Annals Loifeliani*, ibd. II, p. 25. *Ann. Tilian.* ibd. p. 12, quo loco solus *Fulradus* legatus nominatur. —

22) Hanc sententiam iam proposuit *Marsilius Petavinus* (vixit tempore Ludovici Bavari) de translatione imperii cap. 6: „— — Unde non illum (*Childericum* III) *Zacharias* deposuit, sed deponentibus, ut quidam ajunt, consensit; nam talis depositio Regis et alterius institutio, propter rationabilem causam, non ad Episcopum tantummodo, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, sed ad universitatem civium inhabitantium regionem, vel nobilium, vel ipsorum valentiozem multitudinem.“ — Probavit et recepit haec

Hotomannus Francogallia c. 16: „Utrum Pippinus Papae, an concilii Francogallici auctoritate Rex factus fuerit.“ p. 195. — *Natalis Alexdr.* l. l. p. 745. —

23) Chron. Fontanell: „— Cuius filius, nomine *Theodericus* in hoc Fontanellensi monasterio, anno sequenti clericus effectus, collocatus est.“ Quodsi Childericus ipse, vix viginti annos vixerat, cum in Monasterium relegabatur, eius filium ne primum quidem aetatis lustrum peregrisse putaverim. Dubitavit iam de hoc filio *Paulus Aemilius*, qui Francisco I regnante historiam Francorum conscripsit. Is enim in oratione, quam a Burchardo coram Zacharia habitam finxit, cum multis aliis hanc, cur Childericus regia dignitate privandus fuerit, causam affert, „quod sola superesset *Chlodovei magni soboles, quod sine liberis esset ect.*“ Cfr. *Carol. le Coince* l. l. ad a. 752, n. 52. — *Nat. Alexandr.* l. l. p. 743.

24) Cfr. *Hotomanni Francogallia* cap. VII „De summa populi potestate in Regibus causa cognita condemnandis et abdicandis.“ p. 83 sqq. Quantum vero Franci auctoritati apostolicae Pontificis Romani tribuendum putarint, optime, credo, ex illis apparet verbis, quibus Pippinus Sergium, Zachariae legatum, qui victis Baiuvariis captivus producebatur, allocutus fuisse dicitur. Cfr. *Annal. Metts.* ad a. 743.

25) Cfr. *Epist. Gregor. VII.* l. 4, epist. 2 ad *Herimannum Mettensem* Episc.: „Considerent, cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuerit, et omnes Francigenas a vinculo iuramenti, quod sibi fecerant, absolverit.“ *Idm.* l. 3, epist. 21 ad eundem: „Alius item Romanus Pontifex, Zacharias videlicet, Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam eo, quod tantae potestati non erat utilis, a Regno deposuit et Pippinum, Caroli Magni imperatoris patrem, in eius loca substituit omnesque Francigenas a Iuramento fidelitatis, quod illi fecerunt, absolvit.“ —

26) Cfr. de tota hac re *Mascow II*, p. 322 sq. ibique laudatos. *Jean de Bouchet de la véritable origine de la seconde et troisième ligne de la maison Royal de France.* à Paris 1646. — De Recentioribus nihil dixi, quia omnes fere vulgarem narrationem probarunt. —

§. 5.

1) Multi putarunt, Stephanum III eo consilio Pippinum III unxisse, ut eum a perjurio in Childericum commisso absolveret. Cfr. *Theophanis* testimonium apud *Nat. Alexandrum* l. l. p. 741, et ex recentioribus, qui illum secuti sunt, haud paucos. —

§. 6.

1) Cfr. *Pars II*, cap. I, § 1 et 2.

2) *Sallustii Catilina* c. 2: „Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est.“ —

CORRIGENDA.

- Pag. 2, lin. 27 leg. inveniebant.
 — 3, — 28 — ruditas.
 — 7, — 8 — praecipue.
 — 15, — 14 — eidemque.
 — 25, — 12 — possessiones.
 — 28, — 9 del. in.
 — 30, — 32 leg. sententia.
 — 30, — 33 — sententiae.
 — 33, — 11 del. (,) post leudum.
 — 35, — 19 leg. uni eidemque.
 — 37, — 32 — quas.
 — 39, — 17 — *völkerrechtliches*.
 — 43, — 2 — inito.
 — 43, — 4 — ex se.
 — 44, — 17 pon. (,) post Burgundiam.
 — 47, — 18 leg. Francos.
 — 51, — 18 pro (?) pon. (,) post potuerit.
 — 52, — 18 leg. sortem.
 — 54, — 30 pon. (,) post secuti.
 — 57, — 5 leg. Imperatorem.
 — 61, — 26 — ipsi.
 — 62, — 13 — At.
 — 69, — 11 — eidemque.
 — 70, — 5 — uni.
 — 74, — 27 pon. (,) post quod.
 — 80, — 5 leg. quantas.
 — 80, — 17 — qua carens.
 — 84, — 3 — Oppressis.
 — 84, § 1, lin. 10 leg. eidemque.
 — 92, lin. 11 pon. se post fiduciae.
 — 92, — 15 leg. qua Pippino.
 — 95, — 18 — putarunt.
 — 96, — 14 — qua Pippino.
 — 99, — 13 — qua ei.
 — 99, — 23 — Quo maiora.
 — 101, — 25 — nulli.
 — 108, § 5, not. 1, lin. 1 leg. Eginhardi.
 — 111, not. 2, lin. 6 leg. administration.
 — 119, — 7, — 1 — his.
 — 125, § 10, not. 1, lin. 4 leg. sine; l. 8. Senioribus.
 — 126, not. 5, lin. 3, leg. potestati.
 — 129, § 2, not. 1, leg. Quae.
 — 132, not. 11, lin. 8, leg. se depromisse.
 — 141, — 9, — 5, — qu'il.
-

CORRIGENDA.

- Pag. 2, lin. 27 leg. inveniebant.
 — 3, — 28 — ruditas.
 — 7, — 8 — praecipue.
 — 15, — 14 — eidemque.
 — 25, — 12 — possessiones.
 — 28, — 9 del. in.
 — 30, — 32 leg. sententia.
 — 30, — 35 — sententiae.
 — 33, — 11 del. (,) post leudum.
 — 35, — 19 leg. uni eidemque.
 — 37, — 32 — quas.
 — 39, — 17 — *völkerrechtliches*.
 — 43, — 2 — inito.
 — 43, — 4 — ex se.
 — 44, — 17 pon. (,) post Burgundiam.
 — 47, — 18 leg. Francos.
 — 51, — 18 pro (?) pon. (,) post potuerit.
 — 52, — 18 leg. fortem.
 — 54, — 30 pon. (,) post secuti.
 — 57, — 5 leg. Imperatorem.
 — 61, — 26 — ipsi.
 — 62, — 13 — At.
 — 69, — 11 — eidemque.
 — 70, — 5 — uni.
 — 74, — 27 pon. (,) post quod.
 — 80, — 5 leg. quantas.
 — 80, — 17 — qua carens.
 — 84, — 3 — Oppressis.
 — 84, § 1, lin. 10 leg. eidemque.
 — 92, lin. 11 pon. se post fiduciae.
 — 92, — 15 leg. qua Pippino.
 — 95, — 18 — putarunt.
 — 96, — 14 — qua Pippino.
 — 99, — 13 — qua ei.
 — 99, — 23 — Quo maiora.
 — 101, — 25 — nulli.
 — 108, § 5, not. 1, lin. 1 leg. Eginhardi.
 — 111, not. 2, lin. 6 leg. administration.
 — 119, — 7, — 1 — his.
 — 125, § 10, not. 1, lin. 4 leg. sine; l. 8. Senioribus.
 — 126, not. 5, lin. 3, leg. potestati.
 — 129, § 2, not. 1, leg. Quae.
 — 132, not. 11, lin. 8, leg. se depromisse.
 — 141, — 9, — 5, — qu'il.

lit, haud

DAGOBERTUS I, i
Austria; 628 in
gundia. † 638.

SIGIBERTUS III, in
Austria, † 656.


DAGOBERTUS II, qui
a Grimoaldo, Pippini
I filio, in Hiberniam
relegatus, post Chil-
derici II obitum re-
dux in Austriam ibi
regnat ab a. 673 —
678. —

us III, Fra-
secutus, †

III sequi-
(a. 711. †

s IV (II?)
II a. 720
7, quo de-
a. 737 —
num fuisse
olo Maio-

CHLOTHARIUS IV (?),
qui a Carolo Mart.
post proelium Vincia-
cense rex factus, duo-
bus post annis obiit.
(Fredgr. Gest. Reg.
Franc. Erchanbert.
Frag. l. l. p. 781.)



3 2044 018 986 588

